destinato, vela ventis dederit versus Turcarum, vel aliorum hostium ditionem, in qua utpote extra nostrum commercium, impunè barattariæ lucro potiretur, denegato justitiæ aditu mercium dominis, vel quod studiosè, ac præordinatè, merces vel personas prohibitas in navim introduxerint, ut ait collusivum commissum sequatur, cum similibus, quibus eadem ratio congruat, secus verò si ad alium finem id gestum sit, ex quo commissum, vel alter periculi casus sequatur, quia tunc, culpam quidem, non autem barattariam id importabit.

109 An autem culpam (quamvis barattariæ metam non attingat) assecuratores præstare teneantur, cadit etiam sub quæstione, in qua opinionum diversitas quoque dignoscitur; Aliquibus simpliciter affirmantibus; Aliis è converso, simpliciter negantibus, aliis autem melius distinguentibus, ut lex conventionis, ubi per eam id præversum sit, ante omnia servari debeat, ista verò cessante, adeout per juris tramites quæstio decidenda veniat, tunc ubi idem culposus navarcus, mercium assecuratarum dominus, vel particeps esset, culpa culposi damno, atque periculo cedere debet, non autem assecuratorum, quantumvis ampla, omniumque casuum complexiva sit assecurationis formula; Idemque si mercium domini, ejusdem navarchi fidei, earum curam, ac administrationem commiserint, eis etenim imputandum est, cur minus diligentem administratorem elegerint; Secus autem si culposo navarco, seu vectori, solum vecturæ munus com-
110 missum sit; Alter autem mercium institor, vel curator sit præpositus, cui *supra carico* vocabulum, ex communi usu tribuitur, cum tunc, istius quidem culpa, præponentis damno cedat, non autem ea vectoris, quæ inter casus ad hunc effectum constituenda videtur; Potissimè verò, ubi barattariæ, vel alterius speciei accedat exceptio, quę regulam in reliquis firmet.

111 Aliorum verò insolitorum, ac verisimiliter non præviforum casuum damnum, cujus nam esse debeat (neglectis consuetis opinionum varietatibus) ex verborum assecurationis prægnantia, vel restrictione, fortius autem ex regionis moribus, vel stylis, ac negotiatorum judicio, decisionem recipere videtur pro qualitate facti, cujus potius est quæstio, quam modernæ assecurationum formulæ dirimere curarunt, quamvis nunquam sufficienter, ut assecuratorum subterfugia, & subtilitates, facto casu, effugi valeant.

112 Ubi autem contingat, ut in diverso loco fiat illius navis assecuratio, quæ tunc jam perierat, sive alias casum passa erat, adhuc verius est assecurationem subsistineri, ac
113 afficere; Nisi ex facti qualitate, assecurato verisimiliter casus contingentia innotescere potuerit, unde fraudis suspicio cadat (cujus contrarium in sponsionibus est verius) adeout nulla juris quæstio sit, sed facti, ex istius qualitate, & circumstantiis, prudentis judicis arbitrio decidenda, cum itineris, ac temporum qualitas, aliaque accidentia, in proposito ponderanda sint, ut in sua sede advertitur, cum desuper certa regula, cuicumque casui applicabilis statui non valeat.

114 Super casus jam sequti justificatione, ut assecuratis actio adversus assecuratores pro commissa stipulatione competat, quæstiones etiam frequenter in foro cadunt, certam pariter, ac generalem non recipientes regulam, cum probationis materia Judici arbitraria sit, pro facti qualitate regulanda, potissimum, an deferendum sit nautis; Idque ab eorum interesse pendet; Ea specialitate in hac materia concurrente, ut ob difficilem probationem per alias species, vel testes magis idoneos, minus idoneis adhuc deferre congruat, quamvis in proximo naufragii loco, ad formam consulatus maris, vel styli, eorum testimoniale, parte non citata, absque tela judicaria recipiatur; Nisi id in eo loco fiat, in quo parte interessata præsente, citato, aliaque congrua acta impleri valeant, tanquam à cessante dictæ specialitatis ratione.

115 Eadem probationis inspectio cadit super ipsarum mercium oneratione, earumque qualitate, & quantitate, quod pariter ex facti qualitate, potissimum verò ex loci usu determinationem recipit; Melior autem, magisque subjectæ materiæ congrua reputatur ea probatio, quæ per apocam oneratoriam (quæ *di carico* vulgò dicitur) fiat, sive per librum, seu fidem, pro stylo, Scribæ navis, qui Notarii personam, seu figuram in hac specie facere dicitur.

116 Valoris item liquidatio, controversias frequenter parit utpotę necessaria, ad hoc, ut ad certam summam, seu quantitatem condemnatio fieri valeat, potissimum autem, an locus à quo, vel ille ad quem attendi debeat, quod cum distinctionibus dedici solet, de quibus in sua sede, quamvis frequentius conventionalis partium taxa, quæ de jure valida, & commendabilis est, hujusmodi quæstione dirimat.

Si verò diversæ sint merces sub assecuratione cadentes, 117
in quibus diversus ex dicta conventione valor sit statutus, earum verò aliquæ periculum passæ sint, aliæ verò non; Quæstionis pariter est, an extantium lucrum, peremptarum, vel diminutarum damnum compenset; Talisque est regula affirmativa, ex facti diversa qualitate limitanda.

Ex premissis autem legibus maritimis, quibus consula- 118
tus maris vocabulum tribuitur, clariusve ex ipsarum assecurationum consuetis formulis, statutum est, ut adversus assecuratores, executivum, ac summarium judicium, per supra enunciatas, vel similes exceptiones non sit retardandum, adeout in dubio solutio præcedere debeat, postmodum verò de exceptionibus disputari; Adhuc tamen praxis frequentior docet, id non sufficere, adeout experientia probet, ut assecurationes, alium non causent effectum, nisi illum certi damni solutionis pretii, quatenus casus non contingat, eo autem contingente, frequentius longæ, ac dispendiosæ lites oriuntur.

Alia species est assecurationis pecuniæ, quę verè traje- 119
ctitia non sit, jure aliarum mercium recensenda, sed negotiationi exposita, sive super ipsamet negotiatione, ejusque lucris, ac sorti exposita, quod usurarum, seu nautici fœnoris materiam percutit, ideoque in propria sede agitur. *o*

m *disc.* 150. *& sub tit. de feud. disc.* 100. & 101.
n *ibidem proximè*. o *disc.* 94. & 145. *& de feud. discur.* 100. & 101. p *disc.* 90. & 93. & 96.
q *disc.* 91. *& disc.* 106. *cum plurib. seqq.*
r *tit. de locat. disc.* 22. & 36. s *disc.* 102.
t *disc.* 145. u *disc.* 93. x *disc.* 94. & 96.
y *disc.* 94. z *disc.* 98. a *disc.* 92.
b *dicto disc.* 98. c *disc.* 101.
d *de feud. disc.* 100. 101. e *disc.* 93.
f *disc.* 96. g *dicto disc.* 102. *& disc.* 43. *& seqq.*
h *disc.* 95. i *disc.* 144. l *disc.* 105.
m *disc.* 103. & 104. n *disc.* 99. & 100.
o *disc.* 90. o *disc.* 106. *& pluribus seqq. ubi de omnibus præmissis, ad materiam assecurationis.*

C A P. V.

De actione, vel ordine judicii, ad effectum cogendi debitorem, ut creditori solvat quod debet.

POsita debiti substantia, seu veritate, tam de jure, 120
quam de facto, adeout nulla juridica, impugnativa, vel modificativa exceptione debitori competente, adhuc tamen debitum solvere ipse negligat, vel renuat, ideoque de solo actionis exercitio, sive coactionis remedio agi contingat, tunc potius alteram judiciorum, ac praxis materiam, vel sedem, quam istam id percutere videtur; Quia verò sub hac debiti, & crediti tractatione, pleraque id concernentia adnotantur; Hinc eadem obiter infinuare, quamvis ibi latius agatur, incongruum non est.

Aut igitur, nulla peculiaris ratio juris municipalis, vel consuetudinis, seu pacti urgeat, quæ processum summarium, & executivum suadeat, adeóut eum generalibus juris communis regulis procedere oporteat; Istoque casu, 121
ubi de mere personali actione agatur, quæ per capturam personæ, vel pignorum ad exercitium deducenda sit; Regula est, ut in judicio ordinario per tres conformes, vel rem judicatam terminando, id sequi debeat quamvis publicum instrumentum desuper accedat, quinimò illud juris jurandi religione vallatum sit; Licèt enim aliquorum sententia sit, ut juramento hęc operatio tribuatur summa-
riis, ac executivi processus; Verior tamen magisque re- 122
cepta est contraria opinio, cum id nullibi jure cautum sit, atque regulam generalem habeamus, ut processus executivus præter consuetum juris ordinem, non nisi casibus à jure expressis, competat. *p*

Ubi verò, in vim hypothecæ, vel pacti de capiendo propria auctoritate, sive clausulæ constituti, reale, seu
rei persecutorium remedium, vel interdictum, in solo 123
adipiscendæ possessorio ad bona debitoris obtineri contin-

gat, ut frequentiùs in eo, quod *salvianus* dicimus, praxis docet, sive in eo, quod *associationis* nuncupatur; Juris civilis dispositione attenta, summarium est, ac executivum judicium, quod suspensivam appellationem non admittit, nisi nullitatis, vel injustitiæ, aut mixturæ, sivè excessus ratio aliter exigat; Secùs autem, si il-
124 lud intentetur judicium hypothecæ connaturale, quod *hypothecaria* dicitur, cum istud petitorii quandam speciem habeat.

Illud autem, quod in possessoriis interdictis lex civilis concedit, lex canonica negat, ideoque ista, suspensivam
125 quoque appellationem admittit, præterquam in eo remedio, quod associationis dicitur, quod non ex sola hypotheca competit, sed constituti clausulam, vel capiendi propria auctoritate facultatem exigit; Huic etenim, in forma summaria pro solą concessione familiæ petito magis communis, ac usu recepta opinio, ubi etiam cum juris canonici dispositione procedatur, appellationem suspensivam denegat, atque processum executivum decernit.

Quamvis autem in temporali Ecclesiæ ditione, etiam inter laicos, & coram Judice sæculari, cum juris cano-
126 nici dispositione potiùs, quàm illa civilis procedendum sit; Ægydiana tamen Constitutio, Apostolica auctoritate ad Urbem universumque Italicum temporalem Statum immediatum extensa, juris civilis dispositionem in hac parte restituit, atque suspensivam appellationem substulit; Quia verò Pontifex, cum laicali tantùm; non au-
127 tem Pontificia potestate id agere explicitè, vel implicitè professus est, hinc inter solos laicos in laicali foro, de laicalibus bonis contendentes procedit, adeò ut, nulla personarum, vel bonorum Ecclesiasticorum, aut fori ecclesiastici mixtura accedat; Ea etenim accedente, firma juris canonici dispositio remanet, quamvis personæ ecclesiasticæ qualitas in victore, seu creditore concurrat; Atque respectu bonorum Ecclesiæ directum dominium sufficit, licèt de solo utili inter laicos quæstio sit. *q*

Omnium ferè Ditionum, seù Principatuum leges, vel styli, præmissam juris communis regulam, super judicio ordinario, ferè inanem reddidisse videntur, cum ferè ubique locorum, particulares leges, vel contrahentium con-
128 ventiones, viam exequutivam, instrumentis, vel respectivè apocis, aliisque documentis tribuant; Ut in nostra Italia, juxtà Principatuum, seù Ditionum varios mores, praxis docet; In temporali etenim Ecclesiæ Principatu, ac
129 etiam generaliter cum personis ecclesiasticis in foro ecclesiastico, inolevit quædam obligationis formula, quæ cameralis, vel in forma cameræ dicitur, per quam, in summario, nimiumque privilegiato executivo judicio, appellationem, omnemque aliam exceptionem extrinsecam, ac altiorem indaginem requirentem excludendo, proceditur cum unica citatione: Quoties tamen pręcedat ejusdem obligationis formulæ extensio, quæ necessaria reputatur, ut ad executionem deveniri valeat, nisi ex conventione speciali, consentiendo in unicam citationem, dictæ extensioni renunciatum sit, eaque habita pro facta; Istaque conventio, quamvis non expressa, subintelligitur in obligationibus, aliisque contractibus initis per notorios A. C. pro eorum peculiari stylo.

Pluribus quæstionibus cadentibus, super hujus obligationis operationibus, ac effectibus, ejusdemque retardatione, & præsertim circa stipulationem, quam sub se continet favore omnium interesse habentium, licèt absentium, ut procedat respectu habentium interesse principale, seu coæquale, non autem accessorium, vel accidentale, sed de his, ac aliis in sua judiciorum sede habetur. *r*

In Regni Neapolis laicalibus Tribunalibus, ex quodam
130 illius M.C.V. Ritu, quia Regia auctoritate in scripturam redactus, ubique legis vim habet, quidam rigorosus processus exequutivus practicatur, in forma judicii criminalis, cui quædam pœna pecuniaria fisco applicanda, atque loco antiquæ majoris pœnæ amputationis manus dexteræ, ob perjurii reatum, annexa est, solvenda per debitorem, qui debitum statuto tempore, contra fidem datam non solvit, & è converso debita per creditorem, qui indebitum petat; Ideoque tamquam in criminali judicio, debitor, non per procuratorem, sed solum personaliter comparendo, auditur in vinculis, vel facto deposito, & non aliàs, nisi incontinenti, per æquè publicum instrumentum liquidum, de solutione doceat infrà sibi statutum peremptorum termi-
num; Ipseque creditor pariter ex eadem ratione juramenti

super crediti veritate per ipsum præstandi, ob quod dictæ pœnæ quoque subiicitur, per procuratorem non auditur, sed ejus personalis præsentia necessaria est, cui, ut ibi dicitur, de facie ad faciem, solutio promissa sit, adeout neque cessionarius ad id admittatur; Hærede tantùm legitimè declarato in hoc admisso.

Non omni tamen credito experiendo istud judicium competit, sed illi tantùm, quod per publicum, ac juratum instrumentum, in ea solemni, seu probant forma, quæ per ejusdem Regni leges præscripta est, redactum, omninò ex sui facie liquidum sit, nulla indigens alia extrinseca probatione, vel liquidatione, nisi hæc, per æquè publicum, ac liquidum instrumentum incontinenti facta sit, cum plerisque aliis formulis, ac declarationibus, quæ apud ejusdem Regni Sapientes habentur.

Quamvis autem ejusdem Regni ecclesiastica Tribunalia
hanc judicii formam, seu praxim usum recipere, contrà 131
clericos, & ecclesiasticas personas cæperint; Attamen id illicitum esse Curia Romana censuit, quasi quod incongruum sit, pro civili debito, criminale, ac pœnale, famosumque judicium peragere, interdicta præsertim dictæ pœnæ exactione.

E converso autem incongruum, ac scandalosum reputant laici, ut pro pecuniario, vel alterius rei temporalis 132
merè privato debito, in vim dicti alterius judicii obligationis cameralis, seu alterius exequutionibus, ecclesiasticarum censurarum usus habeatur; Improbabile tamen est secundalum, cum id nonnisi in subsidium practicetur, quatenus debitoris positiva malitia, seu protervia accedat, atque creditori de facto impediat, ex potentia, vel occultatione, suorum jurium experimentum, in persona, vel bonis, Ideoque hoc subsidiarium remedium denegatur adversùs minus idoneum, qui ex impotentia potiùs, quàm contumacia, seu protervia non solvat, vel non impleat id, quod debet, quasi quod istud spirituale remedium pro spiritualis delicti punitione adhibeatur, quoniam voluntaria contumacia debitoris idonei, spirituale positivum delictum redolere videtur. *t*

Per alias verò Italiæ partes, versus montes, in usu est
ea antiquior obligationis formula, quæ quarantigia di- 133
citur, processum exequutivum, aliaque privilegia continens.

Neque alias, pro ditionum, seu dominiorum variis legibus, vel stylis, aut contrahentium conventionibus, de sunt judicia exequutiva, ut præsertim in dicto Regno,
ac altero Siciliæ ultra Farum, sunt obligationes penès acta 134
judicii, ac bancorum, seu tabularum apocæ, seu partitæ, cum similibus, quæ certam, & determinatam regulam non recipiunt, cum à singulorum locorum legibus, vel stylis totum pendeat.

Generaliter autem, ac ubique, ex juris communis dispositione, vel intentione, summarius, atque exequuti-
vus 135
processus conceditur, contra eum, qui coram Judice in forma judiciaria debitum agnoscat, ac fateatur; Necnon contrà depositarium, seu fisci debitorem, illumque Civi-
tatis etiam, seu publici ærarii ex annonaria, vel alia publi- 136
ca causa debitorem; Ac generaliter in omnibus iis, quæ de sui natura celeritatem desiderant, atque appellationis, vel alterius telæ judiciariæ dilationes, absque irreparabili præjudicio non admittunt, ut præsertim in præsentibus, vel futuris alimentis subsidiariis, atque Judicis officio debitis eis, qui aliundè provisus non sit, ex regula
quod venter dilationem non patitur, praxis docet, non 137
autem in præteritis, vel iis, quæ citrà subsidii causam actionis jure, personæ alias provisæ debita sint, cum similibus, in quibus eadem urgentia, seu promptæ provisionis ratio intret.

Ex generali pariter, seù communi usu, vel introductione, pro communis comercii ratione, ac publica utilita-
te, cambii litteris, ac mercatorum, & camporum credu- 138
lis, & apocis, quinimò, & parvis pagellis, quæ vulgò *pagherò* nuncupantur, sive in nundinarum, ac mercatorum negotiis, & contractibus, ac etiam inter quoscumque privatos, pro habitationis domorum pensionibus, idem processus summarius, & exequutivus generaliter introductus est, ut etiam Romana Curia pro solutione ecclesiasticarum pensionum introduxit, ut in sua peculiari pensionum sedde advertitur.

Posita verò hujusmodi processus competentia, quæstiones cadunt (quibus in foro nullæ frequentiores,) super exceptionibus, quæ per debitores deduci solent, an, & quando ità incontinenti probatæ dicantur, ut in hujusmo-

di exequutivo processu admitti mereantur, illumque retardare aptæ sint.

Quamvis autem aliquas generales regulas desuper habeamus, ut nempè tales dicantur solum, quæ ex facie, 139 seu ventre oriantur ejusdem scripturæ, ex qua oritur actio, ut præsertim sunt; Illa implementi per creditorem prius faciendi, sive in illa liquidationis, vel purificationis debiti contingit, ubi de illiquido, vel conditionali agatur; Aut ubi exceptio per rem judicatam, sive creditoris confessionem, aut omninò clarum & liquidum publicum instrumentum, quod probabilem exceptionem non patiatur; Sivè etiam, ubi ea consistat in solo puncto juris claris, absque alio extrinseco facti adminiculo, adeout (sicuti nostri dicunt,) ex librorum apertura, ictu oculi, res incontinenti decidi valeat; Adhuc tamen, ut praxis docet, certa, & determinata regula desuper tradi non potest, cum pro locorum legibus, vel stylis ex facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantiis decisio pendeat pro Judicum, seu magistratuum arbitrio.

Illum autem stylum Romana Curia perpetuò damnavit, qui in dicto Siciliæ citrà, seu Neapolitano Regno habetur, ut pro obligationibus penès acta, vel pro cambi lit- 140 teris protestatis, nulla prævia, nec quidem unica debitoris citatione, ad exequutorialium relaxationem, earumque exequutionem procedatur, cum id nullam juris probabilem rationem habeat, unica saltim citatione, in quibuscumque actibus ex ipso naturæ jure desiderata non accedente; Quamvis etenim ea in obligationibus penès acta ratio tribuatur, quæ in confessum coram Judice absque ulteriori citatione ex juris communi regulis hunc processum exigit, non tamen congrua, seu adaptabilis ratio est, cum hæc voluntaria conventionalis obligatio, non eandem sapiat speciem, seu rationem habeat, quæ verè judiciali confessioni contentiosi judicii calore factæ congruit; Ac etiam, quia hujusmodi conventionales obligationes, tempus, ac diem, vel conditionem continere solent, cujus purificatione, vel cessu pendente, solutio vel implementum sequi potuit, aut alia legitima, & prompta exceptio supervenire, quæ per non citatum deduci non potest, minusque, absque saltim unica citatione, Judex certus saltim præsumptivè reddi, an obligatio, quæ coram ipso inita est, adhuc subsistat, ac exequutionem mereatur. *u*

Conceditur in suis casibus iste summarius, ac exequutivus processus, qui contrà ipsum principalem debitorem, competeret, etiam contrà universalem hæredem, quoties 141 omninò certum sit, illum inventarii beneficio destitutum esse, ac etiam extrà dubietatem ut esset talis; secùs autem, ubi, vel ipsa hæreditaria qualitas sub quæstione sit, vel de inventarii beneficio adhibito constet, quamvis illud minus legitimè confectum esset, vel quod rationes sufficienter redditæ non sint, per creditorem prætendatur, cum de hoc in ordinario judicio contrà hæredem in persona, & bonis propriis, agendum sit, non autem in exequutivo; Dupliti etenim casu tantùm, cum hærede, in persona, & bonis propriis, processus exequutivus intrat, vel ubi posita certa hæreditatis aditione, pariter certa sit inventarii negativa; Vel ubi contumacia accedat, ob quam hujusmodi non existentiæ præsumptionem, lex inducat, quia nempè, monitus de inventarii confectione, vel rationum redditione, infrà terminos, pro Tribunalium vario stylo servari solitos, comparere negligat, veramque incurrat contumaciam, quæ hujusmodi exequutivum judicium contrà eum producit.

Istoque exequutivo, vel summario judicio contra principalem debitorem, vel hæredem competente, variationis 142 etiam quæstiones cadunt, an scilicèt, creditori, qui judicii ordinarii formam aggressus est, licitum sit, variando, ad illam judicii exequutivi regredi; Sivè in eadem exequutivi judicii forma, exequendi modum variare, à reali scilicèt exequutione ad personalem, vel è contrà; Sivè in eadem realis exequutionis specie, de una re ad aliam, quod pariter certam regulam generalem cuicumque casui applicabilem non recipit; Quamvis enim in exequutivis, pro variandi facultate creditori assistat regula, limitationem tamen de facili pro Tribunalium diverso stylo ea recipit quando æquitas, vel alia facti qualitas, pro Judicis prudenti arbitrio regulanda, diversimodè suadeat.

Hinc proindè, quamvis lex contra debitorem, vel suc- 143 cessorem ab eo causam immediatè habentem, actionem tribuat, super una, vel alia re debitoris, pro ejus arbitrio, ac voluntate sua jura experiri, quamvis aliquarum rerum specialis obligatio accedat, cum necessitas, quam lex regulariter induxit (extra casus limitatos inferius recensendos) experiendi prius ea, quæ specialiter obligata sunt, adeout ad alia sub generali obligatione cadentia, subsidiarius esse debeat regressus, procedat favore secundi creditoris, vel tertii, qui ex particulari oneroso, seu correspectivo titulo possideat jure domini, non autem, ipsius debitoris, vel ejus successoris respectu; Adhùc tamen, pro Tribunalium diverso stylo, pro Judicis arbitrio, ex quadam non scripta equitate pro facti qualitate regulanda, hujusmodi arbitrium moderationem recipere solet, ut si absque creditoris notabili præjudicio ejus jurium experimentum in bonis debito magis proportionatis sequi potest, in aliis magis pretiosis, vel qualificatis, exequutio permittenda non sit; Quod tamen, utpotè ex facti qualitate diversisque Tribunalium stylis determinationem recipiens, non de facili certam, ac determinatam recipit regulam cuicumque casui congruam. *y*

In universali autem donatario, alia quæstio cadit, an adinstar universalis hæredis, eidem exequutivo processui subjaceat, ob regulam, quod loco hæredis haberi videatur; In puncto autem juris negativa verior est, ex non scripta 144 æquitate, seu Tribunalium stylo limitari solita, ut in peculiari donationum sede advertitur. *z*

Contra tertium bonorum debitoris possessorem, hic processus exequutivus, in actione personali denegatur, quamvis de ipsorummet bonorum debitoris exequutione agatur, cum penès tertium, realia, vel rei persequutoria 145 remedia, lex tantùm concedat; Dummodò tertii possessio sit jure dominii per ipsum prætensio, secus verò, ubi jure pignoris, cùm tunc bona in dominio, & possessione debitoris, non autem tertii esse dicantur; Nisi lex posfidendi titulum infectum decreverit, ut in iis alienationibus, vel dominii translationibus contingit, quæ post litigiosi vitium verè contractum, fiant, sivè quæ fraudulenter, & collusivè, in paratæ exequutionis fraudem, aut quæ fiat per jam certo decoctum, vel decoctuum, cui à lege, fortiùs autem, si quoque ab homine per concursus introductionem bonorum administratio interdicta sit. *a*

In plerisque tamen regionibus, ex earum peculiaribus legibus, quandoque judicium exequutivum, etiam contra tertium admittitur, ut præsertim in Urbe, dotis favo- 146 re statutum est *b* Atque in Siciliæ ultrà farum Regno, ejusque adjacenti Melevitana Insula (quæ eisdem legibus, ac ritibus regitur,) pro censualis contractus implemento, etiam contrà tertium, ex lege peculiari, via exequutiva competit; Quamvis enim ista lex, alteri Siciliæ citrà, seu Neapolitano Regno quoque sit communis, usus tamen in eo id non recipit. *c*

Cum igitur contrà tertium bona debitoris, ex proprio jure, proprioque dominio possidentem, exequutivus processus in actione personali, non sit regulariter experibilis; 147 Hinc proindè, chirographariis creditoribus, quibus, utpotè hypotheca destitutis, non nisi personalis actio competit, nullum contrà eum proditum est remedium, nisi illud, quod provenit ex edicto Prætoris *de his, quæ in fraudem creditorum gesta sunt*, quia nempè constet alienationem factam esse in fraudem, cujus tamen particeps esse probetur 148 ille, cui ea facta sit, cum in dubio non præsumatur quoties de oneroso, & correspectivo contractu agatur; Secùs autem si de lucrativo, in cujus casu, nedùm hæc actio competit, sed etiam alia æquitativa, quæ de utili in rem verso dicitur, fundamentum habens in ea æquitatis regula, quæ prohibet locupletationem cum alterius jactura.

Istaque actio de in rem verso, seù de utili subsidiaria vendicatione, quæ ex eadem æquitate provenit, concedi- tur etiam contrà illum tertium, ad quem constet, quod in specie, vel in æquipollenti pecunia, vel alia re creditoris obvenerit, ut frequentiùs praxis verificari docet, ubi per debitorem, de pecunia vel bonis creditoris, tertii debita 149 soluta sint, seù aliàs utile ejus negotium gestum sit.

Duplex autem copulativum requisitum pro hujusmodi actione desideratur, Illud scilicèt subsidii, quia nempè aliàs creditori consultum non sit cum directo debitore, cujus bonorum excessio validè præcesserit; Nisi notoria sit insufficientia, ideoque certum sit inanes esse diligentias; Et alterum, ut tertius, de tempore quo, actio hæc ad exercitium deducitur, lucrativam foveat causam, adeòut versum duret, sivè utilitas in specie, vel in æquipollenti adhùc præexistat, & non aliàs; Nil enim refert, an de pecu-

pecunia creditoris, debitor tertii debita extinxerit, seù aliàs in ejus utilitatem erogaverit, si ille, hujusmodi negotii gestorum reintegraverit; Sive quod pecuniam, vel rem à debitore, tanquam rem suam effectam, citrà fraudem, ac malam fidem, tertius libenter in superfluos usus impenderit, aliàs non impensurus, adeòut versum, de tempore petitionis non duret, minusque pro duranti habendum sit, ut durare lex fingit in eo, qui dolo egit, ne duraret; Ad instar ejus, qui dolo desiit rem possidere, ut ita, domino, vel creditori ejus vendicationem impediat, cum tunc pro possessore habeatur, ideoque ad valorem, seù æquivalentiam hæc actio subsidiaria conceditur. *d*

In temporali quoque Ecclesiæ ditione, ex ejus peculiari lege, Baronum, ac domicellorum creditoribus, ex offi- 150 cio cujusdam Tribunalis, quod sub Congregationis Baronum vocabulo explicatur, quamvis sola personalis actio competat, cujus conceditur, etiam in summario, & exequutivo processu, contra tertium jure proprio fideicommissi, vel investituræ possidentem, obtinere exequutionem, ac venditionem bonorum, quæ per Baronem debitorem possessa fuerint, quamvis per ejus mortem naturalem, vel civilem suum jus cessaverit, suæquè possessionis titulus resolutus fuerit, cum praxi tamen, ac declarationibus, de quibus in propria, & particulari hujus legis sede, vel tractatione. *e*

Ubi verò creditores, hypotheca muniti sint, ad bona in 151 libero commercio existentia, atque per debitorem ex sola privata conventione hypothecabilia, seù etiam ad ea, quę licet non libera, sed differentia, cum ea solemnitate, quę necessaria reputetur, hypothecata sint, etiam contra tertium, sive immediatum, sive mediatum, reale, vel rei persequutorium remedium competit, quo mediante possessionem, vel retentionem bonorum creditor nactus, ita sui crediti consequutionem obtineat; Denegatur autem hypothecæ prosequutio in mercibus, aliisque usualibus rebus, contra tertium, in quem, citra fraudem, oneroso titulo distractæ sint ex quadam æquitate, à commercii libertate inducta. *f*

Istud autem reale, seu rei persecutorium remedium, quod pro frequentiori praxi triplex est; Unum scilicèt, quod hypothecariæ actionis dicitur, in praxi tamen magis rarum, utpote speciem habens petitorii, ideoque in ordinario, ac appellabili judicio tractandum, atque facilius admittens exceptiones altioris indaginis; Alterum, quod Salviani interdicti dicitur, in praxi frequentius, utpote privilegiatum, ut altioris indaginis exceptiones non admittat, neque suspensivam appellationem, solum denegandam, ubi eum juris canonici dispositione proce- 152 dere oporteat: Istudque remedium proditum est, ut creditor in bonorum sibi hypothecatorum possessionem immissus, ex eorum fructibus, tanquam ex pignore prætorio sibi satisfaciat, ipsa bona restituere obligatus priori possessori postquam satisfactio sequuta sit; frequenter in hoc judicio cadentibus in foro quæstionibus, superquantitate fructuum, ex quibus satisfactio resultet, quomodò scilicet ea justificanda sit; Receptumque est, ipsius creditoris notulam, seu assertionem sufficere, donec per eum, qui contrarium prætendit, justificetur: Talem autem notulam juris jurandi religione munitam esse debere, praxis frequentiùs recepit, nisi facti circumstantiæ ab hac juramenti præstatione excusent, ut in sua sede.

Quæstione item cadente, an percipiendos quoque imputare teneatur, eo modo quo in conventionali pignore cau- 154 tum esse proximè sequenti Rubrica advertitur; Verius tamen est, magisque receptum, ut in hoc hujusmodi prætorium pignus à conventionali differat, ut non nisi de perceptis vel de iis, qui merè culposè percepti non sint, non autem de percipiendis teneatur creditor, qui vice administratoris, vel procuratoris debitoris nomine hujusmodi bona possidere dicatur, adhuc tamen, quia talis in rem propriam est, ex legis, vel Judicis beneficio, non autem ex conventione, idcircò minus gravatur, quam ille, qui conventionale pignus recipit. *g*

Crediti præexistentiam, seu veritatem, cum hypothecę qualitate perneceśsè hoc judicium exigit, neque creditori hypotheca destituto conceditur; Istaque etiam accedent- 155 te, adversus possidentem ex hypotheca anteriori degnatur; Illudque solum competit ad ea bona, quæ de tempore contractæ hypothecæ, vel posteà per debitorem jure proprio possessa sint, non autem ad ea, quæ tunc jam distracta essent, ideoque sub præsentium, vel futurorum hypotheca non cadant, cum aliis ad hujus remedii materiam magis propria judiciorum sede. *h*

Tertium est remedium, quod vulgò associationis dicitur istudque pinguius est, magisque privilegiatum, dum etiam ad ipsius proprietatis distractionem, Judicis facto mediante, post illud obtentum deveniri potest, quod in altero re- 156 medio salviani denegatur, nisi Principes, vel supremi Magistratus indulgentia concedat, pro varia locorum praxi, Ac etiam qui, ex magis recepta sententia, juris canonici etiam dispositione attenta (ut superius etiam insinuatur) istud remedium suspensivam appellationem non admittit, ideoque tanquam magis exequutivum, uberis reputatur, quando competere potest; Illud autem non adeò frequenter praxis docet, cum pro ejus competentia, ultra hypotheçam, aliaque extrema, quę in altero salviani requiruntur, clausula constituti, vel pactum, seu facultas capiendi propria auctoritate desideretur, atque sine uno, vel altero, non competit, nisi venditori, vel domino, dominii reservatio, vel reservata manuum injectio assistat.

Eatenus verò executivi processus beneficium huic re- 157 medio competit, quatenus Judicis brachium, seu familia in forma summaria, & quodammodò extrajudiciali petatur, ut ita ex proprio jure, propriaque auctoritate potius actus adipiscendi possessionem sequatur; Secus autem si cum telæ judiciariæ formalitate, ob quam suo juri renunciasse videatur.

Adeoque extrajudicialis, ac propria auctoritas in pro- 158 posito consideranda venit, ut antiquorum magis communis sententia sit, neque possessoris citationem adhibendam esset; Contrarium tamen ex moderniorum magis recepto sensu praxis penè ubique recepit, ex quadam urbanitate, seu congruentia, quæ meritò transiit in necessitatem, cum multa possessori competere possint, quæ hujus remedii exercitium impediant, ideoque justum, & congruum est, ut inauditus possessor de facto, propria possessione non spolietur. *i*

In sæpius enunciato Neapolitano Regno, ex ejus pecu- 159 liaribus legibus, quodam possessorium remedium creditori hypthecario adversus tertium possessorem bonorum, quæ sibi affecta sit, in usu est, quod *Assistentia* dicitur, per quod ipsorum bonorum adjudicatio pleno jure in satisfactionem creditori per judicem conceditur, sive eodem creditore eligente, ad eorum venditionem proceditur, ut de pretio satisfiat, quoties tamen ea requisita, seu extrema concurrant, quæ in aliis enunciatis remediis necessaria sunt, illud præsertim hypothecæ, sub qua cadant bona, ad quæ remedium exercetur, dum clausula 160 constituti, ac facultas, seu pactum capiendi, tanquam de stylo apponi solita, in esse censentur, quamvis apposita non sint.

Certant proindè Regnicolæ super specie, quam hoc remedium redoleat; Aliquibus opinantibus esse primam hypothecariæ actionem; Aliis autem esse secundum salviani interdicti; Et aliis esse tertiam associationis; Unde propterea Rota Romana, ac exteri DD. quandoque pro 161 uno, & quandoque pro altero ex his remediis, istud usurparunt; Verius tamen magisque receptum videtur, ut si quadam mixtum à regionis moribus vel stylis inductum, quod de omnibus tribus speciebus participet; Ideoque de stricta juris censura petitorii potius, quam nudi possessorii speciem redoleat, dum ipsorum bonorum in proprietate adjudicationem, seu venditionem causat, ac propterea suspensivam appellationem, juxta ordinarii judicii naturam, recipere deberet, quam ex altera peculiari lege regionis non recipit: Adhuc tamen ista lex moderationem à recepta praxi sortita est, ut in solo casu adjudicationis id admittatur, secus autem in altero venditionis.

Cedente quæstione in omnibus his remediis realibus 162 contra tertium exercendis, an prius principalem debitorem excutere oporteat, & quamvis affirmativa sit regula, attamen ob clausulas, vel ob pacta executiva, seu pro stylo, ista regula ab usu exulasse videtur.

Possessori verò, sivè jure crediti posterioris, sive jure dominii sit, adversus hæc omnia remedia, vel similia, 163 lex juris offerendi beneficium concedit, ut scilicet creditorem agentem cum sui crediti oblatione repellere valeat, dum etiam ipsimet debitori, vel hæredi id concessum est.

Eas tamen conditiones hæc oblatio exigit, ut de pecunia libera sit, obligationis restituendi vinculo, vel simili non admisso; Ac etiam, ut de integro credito, ejusque fructi-

bus, vel usuris, quamvis bonorum valor esset inferior, ipsemque solum offeratur; Id etenim non conceditur nisi tertio possessori, qui bona fide melioramenta in ipsis bonis fecerit, cum tunc sufficiat rei antiquæ non melioratæ
164 valorem offerre, dum ad eam tantùm creditoris hypotheca exercibilis est, non ad ea, quæ tertius de proprio addiderit, ea etenim in debitoris dominio nunquam fuerunt, ideoque sub hypotheca per eum contracta non cadunt.

Quæstione cadente, ubi idem tertius, qui melioramenta fecit, antiquum rei hypothecatæ statum destruxerit, vel diminuerit, an id quod de novo constructum est antiquæ rei loco cedat, ideoque sub hypotheca cadat, atque nega-
165 tiva verior est, ubi jure proprio, circa malam fidem, ac affectionem, licitè id gestum sit per eum, cui conservationis antiquæ rei onus ex debito officii, vel administrationis non incumbat, sed ita sit usus ea re, quam justè suam credidit.

Denegatur autem istud juris offerendi beneficium adversùs eum, qui judiciali auctoritate, bona jure creditoris distracta, ad hastam publicam emerit; Cadente solum quæ-
166 stione, ubi ipsemet creditor, cujus jure, sive ad cujus instantiam hæc judicialis venditio sequatur, emptoris, seu licitatoris personam gerat; Atque probabilior, magisque recepta est nagativa opinio, quoties jure tertii, ac extranei licitatoris, publicè, ac bona fide, personam gerere professus sit, secùs autem si pignoris gratia conservandi, sive ut legi fraudem faceret.

Eatenus tamen judicialis emptor ab hujus beneficii competentia exemptus est, quatenus actus de jure validus exi-
167 stat; Secùs autem ejus nullitate ex forma non bene servata, sive, pro non gesto reputandus veniat, ideoque hunc effectum operari non valeat.

Ubi verò hoc beneficium juris offerendi competat, quamvis de stricta juris censura solum creditum, sin antiquum
168 pretium offerre sufficiat, cum illis melioramentis, quæ medio tempore per possessorem facta sint, cum illis tamen distinctionibus, de quibus in particulari melioramentorum sede habetur, adeout ipsius rei intrinsecum augmentum, quod ex temporis, vel aliorum accidentium beneficio, medio tempore supervenit, prioris domini, vel possessoris commodo cedat; Fori tamen recepta praxis meritò contrarium statuit, ut illud quoque augmentum offerre debeat, atque possessoris beneficio cedat, ex rationabili non scriptæ æquitatis motivo, quod claudicationi, aliàs contrà juris naturalis regulas resultanti, innixum est, ut ille, cui istud juris offerendi beneficium competit, cum ad id invitus à possessore cogi non valeat, in solo augumenti casu illud exerceret, non autem in altero decrementi, ideoque lucrum absque damni periculo contra naturalem æquitatem reportaret; Ad instar eorumque pariter in propria retractuum legalium, vel conventionalium sede habentur. *m*

In iis tamen casibus, in quibus via executiva competat; ea cessat, ubi sententia debitoris absolutoria accedat, cum
169 per eam vulnerari dicatur; Quoties tamen crediti substantiam percutiat, non autem ordinaria judicii, vel accidentia, neque adeò nulla sit, ut pro non extante habenda veniat. *n*

Prout etiam, juris communis dispositione attenta, eadem via executiva cessat per longissimi temporis 30. annorum negligentiam, non legitimè excusabilem, quamvis ipsius debiti, vel actionis ordinariæ præscriptio non in-
170 tret; In Regno autem Neapolitano id sequitur per lapsum viginti annorum in instrumentis, & in obligationibus penes acta, vel apocis banci, seu litteris cambii per decem. *o*

p *disc.* 116. q *De his omnibus sub tit. de judiciis.*
r *Eodem tit. de judiciis.* f *Dicto disc.* 116.
t *Eod. tit. de Judic.,& tit. de cens. diverf. Ecclesiast.* u *de his ord. jud. con. eod. tit.de Jud. & hoc tit dicto dis.* 116.
x *d. tit. de jud.*, *ac etiam tit. de hæredc.*
y *hoc tit. disc.* 126. *& seqq.* z *sub tit. de donat. disc.* 45.
a *tit de judiciis.* b *tit. de dote*, *disc.* 57.
c *d. tit. de judic.* d *disc.* 72. *& seqq.*
e *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum*, *dis.* 73. *& seqq.* f *dis.* 22. g *De dicta materia salviani*, *& fructibus disc.* 133. *& seqq.* h *sub tit de judiciis.*
i *eodem tit. de judic.* l *eod. tit. de judicis.*
m *tit. de empt.*, *e vend. disc.* 31. *&* 32.
n *disc.* 117. o *eodem disc.* 117.

CAP. VI.

De debiti extinctione, vel cessatione, seu alias debitoris liberatione.

CReditum, quamvis de jure, & de facto benè probatum, ac experibile, nullique ex jam insinuatis, vel similibus impugnativis, vel modificativis exceptionibus obnoxium sit, adhuc tamen cessat, ac extinguitur per veram, & naturalem, seu fictam, atque à lege subintellectam solutionem, per quam omnem extingui obligationem receptum positivæ, ac naturalis legis principium
171 est; Juris quæstionibus cadentibus, super hujus circumstantiæ verificatione, tam de facto, quàm de jure, cum non ominis vera, vel ficta solutio hunc operetur effectum, sed ea tantùm, quæ legitimè facta per legem probata sit.

Multas autem lex induxit, veræ, vel fictæ solutionis specie, pluresque alios introduxit modos ipsi solutioni æquipollentes, ex quibus idem resultet effectus; Inter omnes autem primum, ac potissimum occupat locum, ipsa
172 vera, & naturalis solutio, quæ ipsimet creditori, cui debiti restitutio promissa est, ad promissionis normam per actum retrosimilem, in eodem genere, vel specie facta sit; Itaque nullam habet quæstionem juris, sed facti, circa ejus veritatem seu probationem, semper quæ eædem intrant inspectiones, quæ super ipsius debiti, vel
173 obligationis probatione superius insinuata sunt, cum unumquodque vinculum, eodem modo, quo ligatum est, dissolutionem recipiat; Aliqua tamen majori facilitate seu benignitate cadente in ea probatione, quæ ad liberandum fiat, quàm ad obligandum, ideoque (ut in dicta probationis obligationis sede advertitur,) certa & determinata regula generalis cuicumque casui applicabilis, desuper non cadit, cum probationum relevantia Judicis arbitrio remissa sit, ex facti qualitate, ac singulorum casuum particularibus circumstantiis regulando.

Ubi autem, super ipso solutionis facto, nulla cadat quæstio; Ea verò juris tantùm sit; an scilicèt benè facta censenda veniat, ut ejus consuetum, atque connaturalem ef-
174 fectum extinctionis debiti, ac obligationis operetur, agatur autem de solutione, quæ ipsimet creditori facta, sit cum quo debitum contractum est, nisi intermedia status mutatio id prohibeat, ob quam legis, vel hominis inhibitio accedat, nulla dignosci videtur dubitandi ratio, ex recepta regula, ut benè distrahatur cum eo, cum quo contractum est, illeque solvat, qui ligavit.

Idquè verum, quamvis ille liberam disponendi, vel contrahendi facultatem non habeat, ut de servo, vel mona-
175 co, seu filio familias, aut minore, ac similibus, cautum est; Quoties tamen sibi ipsis id, quod datum est, reddi stipulatum sit.

Idemque in procuratoribus, & administratoribus, ac aliis aliena negotia gerentibus receptum est, ubi explicita, vel implicita stipulatio accedat sibi reddi; Quæstione
176 cadente ubi domini, seu principalis nomine, ac favore stipulatum sit, an eidem alieno nomine stipulati, quamvis ipse det, ac obligationem recipiat, reddi, vel solvi possit, Constituta in hoc regula negativa, ex facti qualitate, & circumstantiis limitationem recipiente, ut in sua sede. *p*

Ea verò legis, vel hominis inhibitio, quæ prohibet, ne cui dedit, reddi valeat, seu distrahi non possit cum eo, cum quo contractum fit, ab intermedia status mutatione, aliisquè accidentibus oriens, multiplex esse solet, pro facti
177 qualitate, ideoque certam restrinctionem, seu regulam de facili non recipit, ita aliquas species recensendo, utpotè foro magis adaptatas, ac frequentes, à quibus aliæ, quæ magis raræ sunt, normam accipiant.

Hominus etenim indebito ea est, quæ per competentem Judicem fiat debitori, ne proprio creditori solvat, eaque, sub sequestri, seu mandati sequestrativi nomi-
178 ne, explicati solet, quod ad creditorum ipsius creditoris, vel aliorum interessatorum instantiam sequi solet, Talisque inhibitio legitimè facta, legitimèque exequuta, adeout debitor, ex probabili ejus ignorantia excusari non valeat, quoties reintegra facta sit, ità afficit, ut solutionem respectu tertii, ad cujus petitionem facta est, omninò inficiat, ideoque ad reiteratam solutionem debitor meritò cogi valeat, indemnitatis seu relevationis actione sibi remanente adversus creditorem, cui solverit.

Quæ-

Quæstione cadente, an hujusmodi inhibitiones, & sequestra, quæ non generaliter ex officio, sed specialiter ad
179 alicujus instantiam, vel gratiam demandata sint, aliis prosint, dictamque reiteratæ solutionis actionem præbeant; Regula existente negativa, quæ ex facti qualitate, limitationem recipere apta est.

Istum verò effectum, illa Inhibitio non producit, quæ
180 ab incompetenti Judice inhibiti facta sit; Multoque minus ea, quæ per tertium interessatum privata auctoritate per speciem protestationis, vel denunciationis fiat; Ista
181 solum operativa remanente ad malam fidem inducendam, sive ad indicandam eam imminentem creditoris decoctionem, quæ tunc verè immineret ex subsequuto eventu detecta, non tamen prævisa, vel nota.

Operativa verò est, hæc privata, vel incompetentis
182 Judicis inhibitio, quæ re integra fiat à dominio, seu principali, ne procuratori, vel alteri negotiorum gestori, seu etiam personæ inhabili, ut sunt monachus, servus, filius familias, & similes, solutio fiat, quæ aliàs fieri posset.

Altera est hominis inhibitio, quæ à lege contractus,
183 vel obligationis emanet, quia nempè ob jus tertii, cujus interfit, ut pecunia, quæ creditur, in eo investimento perseveret, ac restituenda denuò investiatur, ita cautum sit, ut frequentiùs in ea pecunia, quæ ex bonorum venditorum pretio provenit, pro evictionis cautela praxis docet; Ac etiam ubi per eum, qui cogitando per fideicommissum (pro consueta humana stultitia) ejus bona ponere sub illa perpetuitate, quæ in Mundo denegatur, legem adiicit, ut debitor hæredi, vel successori solutionem facere non valeat, certa forma non servata; Ista etenim neglecta, pro jure tertii, vel successorum, qui ad fideicommissum vocati sint, solutio infecta est, atque obligationem non solvit; Eadem indemnitatis, seu relevationis actione competente, de qua suprà in Judicis inhibitione habetur adversùs eum, qui solutionem recipit.

Adeoque infecta hujusmodi solutio reputatur, quod si
184 expressè non fiat per actum retrosimilem, sed ea implicita ex legis dispositione resultet, juxtà illas fictæ, seu implicitæ solutionis specie, quæ inferius recensentur, imputationi, scilicèt fructuum pignoris, vel usurarum, sive compensationis ipso jure intrantis, vel confusionis actionum, cum similibus, uti id quoad tertii præjudicium non intret, suumque consuetum connaturalem effectum non operetur. *q*

Legis autem inhibitio frequentior illa est, quæ à cre-
185 ditoris decoctione resultet; Ubi etenim ista, formalis, ac vera, quæ mortem civilem, bonorumque administrationis interdictionem causet, jam detecta sit, nulla cadit quæstio, quæ frequentius eos casus percutit, in qui-
186 bus illa incerta, seu ambigua sit, undè propterea debitori, decocturi potiùs, quàm formaliter decocti, titulus congruat.

In hoc autem, neglectis opinionum varietatibus, super certi temporis meta, quæ præcedere debet antequam detecta sit; Veriùs est, ut tanquam in quæstione facti, certa generalis regula, cuicumque casui applicabilis non detur, sed pro facti qualitate, singulorumque casuum circumstantiis, bonam, vel respectivè mala fidem in solvente redolentibus, prudenti Judicis arbitrio pensandis, determinationem recipiat. *r*

187 Ubi etenim vera formaliter decocti, vel decocturi qualitas solventi cognita non accedat, nil referet, quod eidem solventi innotescat, ut ejus creditor alicujus æris alieni mole sit pressus, adhuc etenim illi benè solvit, atque liberationem assequitur, omnesque hypothecæ super ejus nomine creditoris creditoribus quæsitæ resolvuntur.

Dummodo tamen vera, & effectiva solutio accedat, secùs autem ubi sola recepit confessio sequatur, quæ proba-
188 bilibus veritatis adminiculis destituta sit; Multò verò minus, si remissio, vel condonatio sit, seu alia liberationis species; Nisi alicujus partis remissio per transactio-
189 nem sequatur, quæ inita sit bona fide, cujus inspectio à debitori probabili dubietate pendeat, adeout remissio, valori, seu æstimationi dubii incerti litis eventus congrua, seu proportionata sit, juxtà cam generalem regulam, quæ in feudali, emphyteotica, fideicommissaria, simili materia habetur, super transactionibus, quę successorem independenter, proprioque jure venientem afficiant, necnè.

Eademque legis inhibitio, ab intermedia mutatione status provenit, ubi creditori, tanquam amenti vel prodigo, bonorum administratio legitimè interdicta sit, 190
servatis iis, quæ servare oportet, id que debitori innotescat, adeout eadem bonæ, vel malæ fidei inspectio cadat; Sivè quod professionem in Religione emiserit; Aut quod pœnæ servus, vel quasi effectus sit, per veram vel contumacialem capitalem condemnationem, cum bonorum publicatione; Quæstione cadent, ubi eadem publicatio immineat, seu aliàs, in ejus, ac fisci fraudem solutio fiat, quod pro eisdem regulis, quæ in decocturo, vel suspecto haben- 191
tur, determinationem, pro facti qualitate recipit cum similibus, ex quibus collusio, seu mala fides actum infectum reddat; Et hæc de solutione, quę ipsimet creditori volenti, ac recipienti facta sit.

Ubi verò idem creditor vivens, ac habilis, solutionem à debitore oblatam, recipere renuat, adeout ipse solutionis actus in quæstione sit; Undè propterea debitor pecuniam offerat, vel deponat, adeout ejus casu, 192
vel periculo postmodùm contingent, quæstio cadat, an creditoris, vel respectivè debitoris damno, id cedere debeat, tunc certam ac determinatam regulam, id non recipit, sed pro facti qualitate variè dicendum est; Regula etenim creditori assistit, ut depositum, seu realis oblatio, multò verò minus verbalis, debitorem non liberet, quoniam deponere, vel offerre non est solvere; Limitationem autem recipit, ubi prævia creditoris contumacia legitimè contracta, de mandato Judicis competentis, id sequatur, cum suis requisitis, inter quæ, ultra jam insinuatum, quod est primum, ac essentiale contumaciæ legitimè contractæ, ob quam à competenti Judice, depositum, vel alia oblatio admittatur, illud quoque necessarium reputatur, ut de integro debito fiat, adeout oboli defectus actum vitiet, pro ea tamen parte, quæ liquida, & certa sit; Pro illiquida verò, sivè incerta, ea in praxi frequentior adhibeatur cautela depositi unius nummi, cum cautione sivè obligatione promptæ solutionis ejus, quod liquidatum erit; Ac etiam ut penès eam ædem facram, vel publicam mensam fiat, in qua judicialia, & contentiosa deposita fieri debeant, vel soleant; Super quibus tamen, ac similibus, locorum, seu Tribunalium usibus, ac stylis deferendum est; Atque ex hoc pendet, cujus damno cedat periculum, quod in deposito contingat; quoniam eo legitimè facto, est creditoris, è converso autem est debitoris. *f*

Faciendæ item solutionis per debitorem oblatæ, à creditore autem neglectæ, quæstiones cadunt circa modum, locum, & tempus; In modo scilicèt, ubi de pecuniari debito agatur, super montæ qualitate, an de miliori fieri de- 193
beat, vel etiam de debitori, ac minuta seu reproba, vel de reprobatione suspecta, recipienda sit, quod ex conventionis legibus, sive locorum usibus, ac stylis, aliisque circumstantiis, determinationem recipit pro facti qualitate, cujus potiùs, quàm juris videtur quęstio. *t*

Idemque super ejusdem pecuniæ libertate, vel vinculo, & an cautio, seu obligatione restituendo anterioribus prestanda sit, seu aliud vinculum adiiciendum, quod invi- 194
tus creditor acceptare teneatur, quod parite certam generalem regulam cuicumque casui applicabilem non recipit, sed pro facti qualitate, & circumstantiis, est decidendum; Quamvis etenim creditori assistat regula, ut liberam pecuniam assequi debeat, vinculatam verò recipere non teneatur; Pluribus tamen limitationibus ea obnoxia est, quas non facilè est sub compendio recensere, ideoque in propria sede videndæ sunt; Ibique etiam, an creditor, qui vinculum recipere coactus est, actionem adversùs debitorem habeat, ut ab eo illum eximat, vel quantum interest suppleat, quod pariter ex facti qualitate pendet. *u*

Frequentius quoque cadunt quęstiones, ubi inter obligationis, ac solutionis tempus, monetę alterius sequuta sit, an scilicèt alterationis augumentum, vel decrementum, 195
unius, vel alterius commodo, ac respectivè damno cedat; Sivè an in ea precisa monetæ specie solutio facienda sit, de qua obligatio disponat vel in simili, seu equivalenti facere liceat, quod pariter plures habet distinctiones, ac declarationes, ita compendiosè non de facili explicabiles, ideoque pariter ad propriam sedem, pro casuum occurrentiis, eorumque qualitatibus, recurrendum est. *x*

Eędemque quæstiones, quę modum percutiant, cadunt, in aliis rebus, vel generibus, quæ in obligatione sint, pręsertim in iis, quæ ad instar pecunię, functionem in genere 196
reci-

recipiant, ut sunt triticum, vinum, oleum, ac similia, an de una meliori specie solutio facienda sit, vel de altera deteriori, cum similibus pro facti pariter qualitate decidendis, ideoque certam non recipientibus regulam; Præsertim verò ubi mora accedat, an ipsa species præstanda sit, vel pretium, de præsenti, vel alio tempore, prout unius, vel alterius magis intersit.

Loci etiam quæstio cadere solet, an in uno, vel altero, solito fieri debeat, & cujus electio sit, *y* Ac etiam temporis, an scil. antè cessam conventionis diem, creditor debitorem urgeat, vel è converso cessam diem ulterius credi-
197 tor protrahere teneatur; *x* Ac etiam circa modum, ubi plures res, vel species alternatim positæ sint, cui competat electio, & quatenus ea sit debitoris, ut regula in dubio exigere videtur, an per moram, vel semel factam electionem seu declarationem, amittatur, cum similibus, de quibus pariter in propria fede, utpotè certam, ac determinatam regulam recipere non aptis.

Personæ item solventis, vel solvere volentis est quæstio, an scilicèt, ab altero, quàm à debitore, creditor solutionem recipere teneatur, atque affirmativa est regula, ubi nil sua interfit, nullumque præjudicium de præsenti, vel de futuro timeatur vel resultet.

Causæ quoque solutionis quæstio esse solet, an scilicèt
198 debitore ex pluribus causis, vel debendi titulis simpliciter solvente, uni potius, quàm alteri causæ solutio referenda sit, idque frequentius, tertii interesse percutit, puta fidejussoris, vel secundi creditoris, quandoq; verò etiam ipsiusmet creditoris vel debitoris respectivè, pro usurarum cursu, sive pro unius, vel alterius actionis, vel judicii competentia, aliisque effectibus, ex una, vel altera debendi causa resultantibus.

In hoc autem, ubi causa expressa sit, omnes cessant quæstiones, quæ in ambiguis, non autem in claris intrant,
199 ideoque ad causam expressam solutio referenda est, nisi ob tertii fraudem, vel præjudicium, lex ipsorum, creditoris, ac debitoris declarationem infectam reputando, eam illi referat causæ, pro qua facienda erat.

Hujusmodi autem expressa declaratione cessante, debito habenti fidejussorem potiùs, quam simplici referri debet sive debitori, magisque executivè obliganti, Aut data æquali plurium causarum natura, seu qualitate, antiquiori, regulata antiquitate, non ex tempore contractus, sed ex illo cessæ obligationis, ideoque antiquius dicitur, quod prius maturaverit; At si una sit causa propria, altera verò aliena, prius ad illam quàm ad istam, cum similibus pro facti qualitate pensandis; Non juris etenim, fed voluntatis quæstio est, præmissæ autem juris regulæ, simplicem inducunt præsumptionem, ex contraria probatione etiam præsumptiva, seu adminiculativa elidibilem; Potissimum verò, ubi aliqua congruentia, seu honestatis ratio ita exigat; frequenter enim promptiùs benevoli officiosi mutui pro aliqua urgenti, vel oportuna causa facti, restitutio fieri solet, quamvis recentioris, minusque duri, quàm antiquioris, ac durioris, & usurarii: Quinimò, & illius, quod ex causa ludi, seu aliàs ex sola data fide proveniat, pro facti qualitate, & circumstantiis redolentibus verisimile, vel inverisimile, quod potissimum in ambiguæ voluntatis quæstionibus attendi debeat. *a*

Percutiunt regulariter hæc omnia solutiones, quæ ipsis directi, ac immediatis creditoribus fiant; In illis, verò, quæ cum diversa persona sequantur Ea in primis cadere
200 videtur certa regula, ut ea legis, vel hominis inhibitio, quæ solutionem ipsimet directo creditori fieri vetat, multò magis eam alteri fieri prohibet; Quamvis etenim, antiquiori, vel potiori ejusdem creditoris creditori facta, sol-
201 ventem tutum reddere soleat, per accidens tamen, sive per inanis circuitus rationem id sequitur, atque exceptionis ope, obliquam solventis liberationem causant, non autem illam propriam, ac naturalem debiti extinctionem, quàm juris ministerio, solutio legitimè, proprio, ac directo creditori facta, inducit.

Ubi verò ea persona, quę diversa est, illam creditoris in
202 omnibus repræsentet, ejusque vice, ac nomine, solutionem recipiendi, ac debitorem liberandi potestatem habeat, idem resultat liberationis effectus, ut contingit in defuncti creditoris verò hærede, seu cessionario, aut procuratore, alioque conventionali, seu legali administratore, qualis est tutor, curator, prælatus, findicus, vel œconomus, maritus respectu dotalium, (& quandoque etiam in extradotalibus) institor, seu negotiorum gestor, ac socius, & similes, quorum respectu, quæstiones cadunt super facto, seu hujus qualitatis existentia, vel potestatis competentia, cum sæpiùs hæredes, vel prælati, aliique similes, putativi potiùs, quàm veri sint, ac etiam ubi veri quoque existant, ex defectu solemnitatum, seu aliàs hanc potestatem non habeant; à lege, vel homine eis non attributam; Super quo tamen licèt juris regula solventi resistat ut bene inquirere teneatur cui nam solvat, quoties alteri, quam proprio, ac directo creditori solvere contingat, adhùc 203
tamen, bona fides, justaque credulitas pro facti qualitate solutionem factam putativo hæredi, vel prælato, vel præsumpto procuratori, ac simili, in quo eadem urgeat ratio, liberationem inducunt, pro qualitate, ac circumstantiis facti cujus est quæstio, certam proindè regulam recipere non apta. *a*

Sæpiùs quoque contingit, ut de Judicis mandato, alteri, quàm creditori solutio fiat, quod pariter certam non recipit regulam, cum decisio ex pluribus distinctionibus, seu 204
circumstantiis pendeat, præsertim ex Judicis competentia, atque ex diligentiis per solventem adhibitis, tam in denunciatione proprio creditori facienda, quàm in oppositione non juris ejus, qui solutionem petat, atque, vel præcisæ, vel saltim moralis coactionis effectu vel imminentia; Potissimum verò, an talis accedat ipsius debitoris mora, quę hujusmodi casum quamvis aliàs excusabilem, utpotè ex ejus mora, & culpa sequutum, ejus potiùs, quàm creditoris damno lex referat cum aliis distinctionibus de quibus in sua fede. *b*

Prout de solvente ex justo errore, cum creditoris falsis ordinibus, vel signis, an liberationem assequatur ex facti qualitate determinationem recipit. *c*

In omnibus autem casibus, in quibus, alienam rem gerentibus solutio ut supra, quoties vera fit, debitorem liberet, idem non resultat effectus, ex ea solutionis specie, quę vera, & effectiva non fit, sed potius ficta, quamvis cum 205
ipso principali, ac directo creditore, liberationis operaretur effectum, ut sunt, confessio de recepto non munita efficacibus veritatis adminiculis, pro facti qualitate metiendis, nec non acceptilatio, novatio, remissio, vel in causam propriam compensatio, ac similes fictæ, sive à lege subintellectæ inferiùs recensendæ solutionum species, quoad principalem creditorem efficaces, non autem quoad eum, qui aliena negotia gerit, in quo solum vera, & effectiva solutio liberationis solventis, ac extinctionis debiti effectum operatur. *d*

Fictæ autem, seu à lege præsumptæ, vel subintellectæ solutionis species, quam plures habetur; Ea præsertim, quæ vera quidem allegatur, veram autem, ac expressam 206
non habeat probationem, ideoque ad præsumptam, seu adminiculativam confugere oporteat; Super hac autem, licèt nostri majoris, super singulorum præsumptionum, vel argumentorum pondere, ac efficacia, valdè certent, nimiumque se involvant, præsertim verò super eo argumento, quod ex diuturno silentio, seu temporis lapsus resultet, alia quoque requisita conjunctionis sanguinis, vel sepiùs dispunctæ rationis, aliaque similia rigorosè, ac verbaliter pro consueta pragmatica ineptia criticando.

Verius tamen est, ut id certam, ac determinatam regulam non recipiat, cuicumque casui adaptabilem, sed pro altera generali regula, quam in ultimorum, ambiguarum voluntatum conjecturalibus ac adminiculativis quæstionibus habemus, ex facti qualitate, & circumstantiis particularibus decisio pendeat, cum ex eis frequenter contingat, ut aliqua in uno casu argumenta abundent, in altero autem, eadem, ac majora insufficientia sint, eaque non singulariter, ac distinctè sed unitim ponderanda sunt, diuturnum scilicèt silentium, creditoris inopia, vel diligentia, debitoris, idoneitas vel promptæ solutionis consuetudo, ejusdem debitoris expectata mors, ac similia pro facti qualitate. *e*

Alicubi autem, ad temporis quęstiones dirimendas, per leges municipales, certum tempus præfinitum est, quod à
cessa, seu maturata die numerari debet, cujus lapsus solutio- 207
nis presumptionem inducit, atque creditoris actionem perimit, ut presertim in Urbe, ejusque districtu, per Statutum particulare dispositum est, ut sexdecim annorum silentium ad id sufficiens reputetur, absque interventu aliorum adminiculorum, quæ juris communis dispositione attenta, necessaria sunt, & sine quibus non sufficit solum tempus, quod causa non est inducendi, vel perimendi obligationem, istaque est hujusmodi Statutorum, seu legum operatio; Ea verò desideranda non est, ubi alia concurrant adminicula; 208
quę ad juris communis limites, ad hujusmodi probationem indu-

inducebam sufficiant, cum tunc, etiam brevior terminus ad id sufficere valeat.

Quamvis autem præscriptionis vocabulum, seu terminus, vulgò desuper adhiberi soleat, verè tamen præscriptio non est, quæ ex legis municipalis potentia, creditum extin-
209 guat, vel actionem perimat, sed solutionis præsumptionem inducit, juris tantum contraria probatione, vel fortioribus præsumptionibus elidibilem, dum ejusdem principalis debitoris favore, mala fide non obstante, eadem præsumptio intrat, quod præscriptioni repugnat.

Inter contrarias verò præsumptiones, illa efficax reputatur, quod resultet à debiti negatione, sive de facto, sive
210 de jure, quia nempè, de facto verum, inefficax tamen, atque non obligatorium allegetur, ex ea efficaci ratione, quod solutum præsumendum non est id, quod indebitum prætenditur; Idemque ubi debitor alium solutionis alleget modum, qui minus verus, vel minus legitimus postmodum convincatur ob ejusdem rationis identitatem.

Atque ubi contraria probatio, vel præsumptio desit,
211 adhuc, ratione ignorantiæ, ut in hærede contingit, vel in pupillo facto majori; Sive ratione absentiæ, vel impedimenti, seu alterius justæ causæ, in integro restitutio admittitur.

Plerisque aliis desuper cadentibus limitationibus, in iis debendi speciebus, quæ à statuto excipiantur, ut sunt debita ex causa dotis, vel ex illa census esse solent; Pluri-
212 busque cadentibus etiam quæstionibus, an hujusmodi Statuta, creditores non subditos, vel exemptos afficiant, Sive an fidejussoribus prosint, vel in actionibus realibus procedant, cum aliis de quibus in sua fede.

An autem forenses comprehendant, in quæstione est, atque licèt opinionum varietas habeatur, probabilius ta-
213 men, magisque receptum est, ut ex qualitate loci, in quo debitum contractum sit, ac destinata solutio, decisio pendeat; Si etenim, in Statuti loco id sequutum sit, rectè intrat, nilque refert, an debitor, vel creditor, neque civis, neque verus incola sit, sed accidentaliter ibi moram trahendo, vel contrahendo, Statuti subditus dici non valeat; Secus autem ubi, cessantibus præmissis, contingat ob fori competentiam, vel debitoris in eo loco apprehensionem aliamvè accidentalem circumstantiam, inter forenses ibi causam tractari, ut frequens Urbis, vel Romanæ Curiæ praxis docet. *f*

Præscriptio autem vera, ac propria solutio non est, ejus vim habet, ob debiti, vel obligationis peremptio-
214 nem, quam lex, ob alicujus temporis lapsum, cum aliis requisitis junctum; Sive sit in odium, ac punitionem negligentiæ creditoris, sive sit ex duplici favoris ratione, ut dominia diù in incerto non sint, inducit.

Nimium autem rarus est casus, in quo hujus cessationis causæ debendi, praxis habeatur; Tum ob diuturnum lon-
215 gissimi temporis decursum à die, qua creditor agere poterat, numerandum in jure civili præscriptum, cum priùs intret regula, ut non valenti agere, non currat præscriptio; Tum etiam ob frequentem usum juramenti, quod, vel juxta unam sententiam actionem perpetuat, vel juxta alteram ad annos quadraginta eam protrahit.

Fortius verò, ac pro frequentiori impedimento, propter malæ fidei obstaculum, quod quocumque temporis decursu non obstante, præscriptionem impedit ex juris canonici
216 decreto, quod utpotè peccati rationi innixum, ubique etiam inter laicos, atque in laicali foro receptum est, ideòque ipse primus debitor, utpotè proprii debiti conscius, ac malæ fidei nunquam præscribit.

Nisi de eo debito agatur, quod respectu creditoris, jus quærendum importet, quod potest non quæri, ideòque
217 debitor ex diuturno silentio, justam hujus animi non quærendi opinionem, seu credulitatem concipiat, ut præsertim, in hærede, legatorum, vel fideicommissorum debitore, ea per tempus longissimum præscribente, contingit, cum similibus, quibus eadem congruat ratio.

Requiritur autem ut mala fides vera sit, qualis digno-
218 scitur in debitore, qui ex causa mutui, vel alterius contractus, pecuniam, vel rem alienam in manibus habeat, ejusque restitutionem promiserit, sed pro facti qualitate mala fides præsumpta solum sit, cum in ista, ex cessanti peccati ratione, cui dicta juris canonici innixa est, jus civile maneat incorrectum.

Scribentium autem rigor, præfatum malæ fidei effectum ad hæredes, præsertim, primum, quoque transmitti cre-
219 dit, quod tamen asperum est, ideòque cum ea moderatione intelligendum est, de qua in sua fede.

Et tamen, ubi hujusmodi obstaculis cessantibus omnia præscriptionis requisita impleantur, adhuc tamen nimium rara est, fereque nulla est ejus praxis, quoties de centena- 220
ria, vel immemorabili non agatur, ob tot subductiones, quæ pupillaris, vel minoris ætatis, vel justi impedimenti ratione, adversùs eam conceduntur; Ac etiam ob restitutionis in integrum beneficium, quod ex justæ ignorantiæ causa, vel simili ratione, magis communis, ac recepta sententia tribuit; Sive quod ex proprio, ac independenti jure ille veniat, cui prædecessoris negligentia præjudicare apta non sit. *g*

Ideòque imprudens cautela reputatur, ad hujusmodi formalis præscriptionis præsidium recurrere; Cautiùs autem est, diuturnum temporis lapsum, cum aliqui- 221
bus argumentis, quæ deesse non solent, ad præsumptæ solutionis, vel extinctionis probationem potiùs referre. *b*

Alter quoque in jure modus habetur, quo mediante, quamvis certum sit solutionem abesse esset obligatio, ex cessante scilicèt debendi causa, quoties de causativa obligatione agatur, ut in eo debitore contingit, qui ex causa 222
emptionis bonorum, pretii debitorem se constituat; Eo etenim citrà proprium factum merè voluntarium, vel culposum, rem amplius non possidente, utpotè ab alio evictam, obligatio tanquam causativa, ex cessante causa, cessat; Nisi vera delegatio accedat, de cujus requisitis in sua fede.

Idemque in iis, qui temporaliter, seu alias resolubiliter bona, vel officia, seu jura possideant, quorum intuitu, onerum, vel debitorum ipsis bonis, vel juribus annexorum, obligationem contrahant, ex cessante causa resolvendam, ubi cessatio, citra propriam culpam, seu voluntarium factum sequatur. Ea tamen resolutione non admissa in effectu jam consumato, qui per suæ causæ cessationem non cessat, ut in decursis annualitatibus, pro tempore suæ possessionis contingit, cum similibus, quibus eadem congruat ratio. *i*

Omnium autem frequentior, fictæ, seu à lege subintellectæ solutionis species, quæ sub forensi quæstione ca- 223
dat, ea est quæ compensatio dicitur, quia nempè debito-ri adversus creditorem superveniat creditum, cum quo proprii debiti compensationem alleget, tanquam per occultam solutionem, legis ministerio, sibi ipsi factam.

Multæ verò desuper quæstiones cadunt certam, ac generalem juris regulam non habentes, utpotè ex facti qualitate, & circumstantiis determinationem recipientes, ac propterea non de facili sub compendio explicabiles, sed in propria fede videndæ.

Ea verò potissima est, ac frequentior, an ipso jure sequatur, absque opositione, vel potius ista necessaria sit, 224
quod plures percutit notabiles effectus, illum præsertim cursus usurarum, ac alterum extinctionis juris, quod alteri super eo nomine quæsitum sit, cum similibus.

Quamvis autem magna desuper opinionum diversitas habeatur; Ex probabiliori tamen, magisque recepta sententia, regula est, ut non ipso jure, sed exceptionis ope, per oppositionem, & non alias, compensatio fiat, pluribus tamen limitationibus eadem regula, subjecta est potissimum verò ubi de debito usurario agatur, adeòut intret favor impediendi usurarum cursum; Sive ubi negotiatorum usus ita exigat; Aut ita exigente æquitate ex eo, quod alias debitori consultum non sit; Vel quod ratio inanis circuitus intret, cum similibus eandem rationem habentibus.

Ubi verò contingat, ut creditum quod debitori supervenit, proprio debito sit posterius, frequens quæstio cadit, etiam potestatis, quamvis declarata voluntas accedat, an 225
scilicèt compensatio fieri possit, in præjudicium intermedii creditoris, cui debitoris nomen, antè superventi crediti competentiam, affectum sit, idque magnum habet opinionum conflictum; Veriùs tamen est, ut ex facti circumstantiis, bonam, vel malam fidem redolentibus decisio pendeat, cum distinctionibus, de quibus in sua fede.

Æqualem quoque naturam compensatio exigit, ut utrumque scilicet debitum, & creditum sit quantitatis, vel generis, quod functionem recipiat; Secus autem de quanti- 226
tate ad speciem, vel è contra; Quodque utrumque proprium sit, cum proprii debiti cum alieno credito compensatio non detur; Quæstione cadente, ubi personarum diversitas intellectualis, vel ficta accedat, quæ formalis dicitur, ex legis fictione, distinctionem habens, pro respectuum diver-

diversitate, naturaliter autem, seu materialiter sit eadem, ut in hærede beneficiato, sive in feudi, vel fideicommissi, seu majoratus, vel similis juris possessore contingit, an proprium debitum, cum credito ex tali diverso jure competente, compensetur, quod pro facti qualitate, ac circumstantiis veriùs determinationem recipit, ut in sua sede.

Posita verò personæ, ac naturæ debiti, & crediti identitate, quia nempè utrum sit quantitatis, vel generis functionem recipientis, ideòque compensabili; Altera coæqualis natura, seu qualitas ad compensationem desideratur, æqualis certitudinis, ac liquiditatis, ex regula, quod liquidi ad illiquidum prohibita est compensatio; Ubi tamen debitum, & creditum ex diversis causis, vel stationibus, manent; Secùs verò ubi ex eadem, cum tunc veræ compensationis terminus non intret, sed potiùs illedati, & accepti seu calculorum, seu partitarum contrapositio.

Æquali autem liquiditate concurrente, non curatur privilegium summarii, vel exequutivi judicii, quod uni credito competat, alteri verò non, cùm id obstaculum non præstet compensationi, quæ aliàs habeat necessaria extrema, seu requisita.

Crediti quoque præexistentis de tempore contracti debiti, juris regula compensationem prohibet, quasi quod ille, qui sui debitorem constituit, compensandi facultati renunciasse dicatur, potissimum verò, ubi solvendi promissio juris jurandi religione munita sit; Adhuc tamen, sive ex ipsius compensationis, sive ex altera retentionis ratione, praxis quandoque eundem admittit effectum, ubi doli, vel inanis circuitus ratio, seu alia æquitas, ita exigat, pro qualitate facti, cujus potiùs quæstio est, ideòque certam, ac determinatam regulam non recipit, sed à casuum circumstantiis prudenti Judicis arbitrio pensandis decisionem expectat.

Illud autem præ cæteris ad compensationem necessarium est, ut utrumque debitum, ac respectivè creditum invicem compensabile, experibile, seu repetibile sit, ideòque cum credito pro forte census, compensatio non datur, nisi ex parte debitoris, istius tamen declaratione accedente, idque ex natura contractus, ut sors ab invito debitore sit irrepetibilis, ac demortua, ideoque respectu creditoris verè debitum non sit, nisi debitor declaret, cum aliis, de quibus ad istam compensationis materiam in propria sede, cum non facile sit omnia sub compendio recensere, satisque sit ea insinuare, quæ forensi praxi magis adaptata sunt. *l*

Habet item solutionis speciem, ejusque operatur effectum novatio, sivè debiti in diversum contractum transfusio, quoties tamen novationis requisita concurrant, cum ità prioris debiti solutionem, sex occultet, atque solutæ pecuniæ immediatam conversionem, in aliam causam; Nisi priorum jurium reservatio accedat, in iis operativa, quæ compatibilia sint, secùs autem, ubi incompatibilia pro facti qualitate, cujus potiùs quæstio videtur. *m*

Cessio item, solutionis effectum operatur, ejusque vicem habet, Ubi tamen ea formalis delegationis cessi debitoris fomentum habeat, sivè quod pro soluto facta sit, ideoque speciem habeat dationis in solutum, quæ ubi habeat essentialia requisita emptionis, & venditionis (cum qua in omnibus fraternizat) veræ solutionis vicem habet, atque obligationem extinguit.

Quæstione tamen cadente, super ejusdem obligationis, priorumque jurium reviviscentia, ubi rei in solutum datæ, vel ita cessæ evictio sequatur; Super quo regula est negativa, ubi species pro quantitate detur, secùs autem, ubi species pro specie, limitanda tamen, vel ex priorum jurium reservatione, vel ex creditoris privilegio, ut in dotali credito contingit, vel ex ipsius actus infectione, aut per legem inducta resolutione.

Ubi verò cessio, pro soluto non sit, sed pro solvendo, istum non operatur effectum, cum potiùs mandati traditionem, ac respectivè susceptionem ad exigendum, id importet.

Ex hac autem distinctione, an pro solvendo, vel pro soluto cessio facta sit, ille resultat effectus, ut quando pro soluto est, cessi nominis periculum, creditoris damno cedat, utpote effectum de ejus dominio, cujus periculum sequela est, quamvis ubi ex inopia, seu inexigibilitate illud resultet, de ipsius cessionis tempore, adhuc facto præexistat, cum cedenti sufficiat, nomen cessum de jure verum, ac exigibile præstare; Nisi dolus, vel deceptio ex parte cedentis accedat.

Vel nisi exigibilitas de facto quoque promissa sit: Eam tamen explicare oportet, cum alias exigibilitatis genericum vocabulum (cessante creditoris privilegio, seù alia circumstantia suadente, ut etiam de illa facti intellectum sit,) ea de jure tantùm veniat; Quando verò ea facti promissa quoque sit, nisi verba perpetuitatem denotent, (cum tunc omni tempore debeatur,) discretè pro aliquo moderato tempore intelligendum est pro qualitate facti, cujus, ac voluntatis potiùs, quàm juris est quæstio.

Juris autem veritas, seù exigibilitas semper præstari debet; Nisi defectus, vel suscipio ipsi creditori cessionem recipienti innotescat, cum scienti, ac volenti nulla fiat injuria; Vel nisi cedentis protestatio accedat, cedendi nomen tale, quale &c. Istoque etiam casu, doli, vel facti proprii obligatio remanet.

Ubi verò pro solvendo sit, res in oppositum est, ut cessi nominis dominio à cedente non abdicato, sed adhuc perseverante, ejusdem quoque sit ejus connaturalis sequela periculi; Alio creditori cessionario non incumbente onere, nisi illo diligentiam, quibus non præcedentibus, (non tamen exquisitis, sed moralibus,) regressus adversus debitorem cedentem denegatur; Cum etenim ita mandatum ad exigendum, creditor acceptasse dicatur, hinc suscepto muneri satisfecisse docere debet; Et de consequenti, ob negligentiam, cui non exactionis, vel superventæ inexigibilitatis damnum referri possit, sub mandati actione cadit, ut ea culpa præstanda sit, ad quam mandatarius in gratiam mandantis tantum de jure tenetur; Nisi particularis loci, vel personarum, seu negotiorum lex scripta, vel non scripta, seu alias subjectæ materiæ ratio diversimodè suadeat, ut in cambii litteris, aliisque mercatorum, ac negotiantium apodissis, vel pagellis, vel capsorum, & banchorum schedulis, seu ordinibus, diversa locorum, seu regionum lex, vel consuetudo disponit; Ideòque certa regula desuper cuicumque casui, vel loco applicabilis non cadit.

Ea potissimum notabili cadente differentia, inter illas bancorum, & campsorum apocas, vel schedulas, quæ cedulæ, seu crediti fides dicuntur, ac eas, quæ per cedentem, vel solvere volentem, campsoribus, vel bancis diriguntur, pro solutione facienda, quas ordines, seu mandata, vulgò appellamus, ut prima species, veræ solutionis, atque numeratæ pecuniæ vim habeat, quod etiam communis usus illis parvis campsorum, vel negotiantium pagellis attribuit, quæ vulgò *pagarò* dicuntur, adeòut ad satisfaciendum formæ pecuniæ numeratæ hujusmodi bancariæ cedulę sufficiant. Secus autem, ubi de alia ordinum, seu mandatorum specie agatur, cum tunc, pro solvendo, non autem pro soluto receptæ censeantur.

Juxta verò hanc secundam speciem, ut pro solvendo potiùs, quam pro soluto nominis cessio factæ præsumatur, pro magis communi, & recepta sententia, regula est, ex contrariis argumentis, vel conjecturis limitanda, ideòque facti, & voluntatis potius quam juris est quæstio pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, particularem recipiens determinationem.

Hujusmodi accessione accedente, plures, ac frequentes forus audit quæstiones, tam super exercitio actionum, quæ cedenti competunt, an ad cessionarium pertineant; Sive an potioritatis, vel aliud privilegium in cessionarium transeat. Aut, an exceptiones, quæ cedenti obstarent, cessionario quoque obstare debeant; Sive, an vera, vel ficta solutio, quæ cedenti fiat, cessum debitorem liberet, ac cessionario præjudicet; Idemque de ejusdem cedentis declaratione, seu liberatione, vel testimonio; Aut etiam, an post factam cessionem, cedens primævas actiones exercere valeat, seu quas retineat, cum similibus, quarum omnium, nimiam opinionum varietatem, atque conflictum habentium, decisio ex pluribus distinctionibus, vel particularibus facti circumstantiis pendet; Potissimum verò ex verborum amplitudine, sive ex natura cessionis, an in solius cedentis gratiam, vel respectivè cessionarii facta sit; Ac super scientiæ, vel malæ fidei, sive inhibitionis, vel angustionis cessi debitoris, qualitate; Necnon ex cessionarii indemnitate adversùs cedentem, qui actum præjudicialem fecerit, cum similibus, quæ impossibile videtur, absque confusionis, vel nimiæ prolixitatis, ac evagationis vitio, sub compendio decisivè recensere, cum reverà, vel omnes, vel majores facti potiùs, quam juris quæstiones esse dignoscantur, ideòque, utpotè pariter,

ter, ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis decidendæ, seu determinationis incapaces existunt. *p*

Liberatio, seu remissio, quamvis gratuita, sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem facta sit, solutioni æquipollet, eumdemque extinctionis deberi, vel obligationis effectum operatur, ubi nullam habeat validitatis quæstionem, quæ duplex esse solet; Voluntatis scilicet, quæ ambigua sit, ut in legatis præsertim, aliisque ultimis voluntatibus dubitari contingit; Vel etiam potestatis, quia nempè lex, ipsimet creditori liberam bonorum dispositionem non habenti, eam deneget, ut in pupillis, ac minoribus, & similibus; Vel ratione fraudis, quæ eidem legi fieri possit inter eos, cum quibus donatio prohibita sit, ut inter conjuges, vel concubinas, & similes; Sivè, ubi exinde, tertio præjudicium resultet, ut præsertim sunt ipsius creditoris creditores, cum similibus.

Atque hinc juris, vera, & recepta propositio manat, ut simplex, & nuda creditoris ita prohibiti, vel suspecti confessio, quamvis veram, ac effectivam solutionem exprimat, in prohibitam remissionem, seu liberationem resolvatur, nisi accedant confessatæ veritatis adminicula, super quorum pondere, vel efficacia, (quidquid Scribentes varient, vel se involvant,) certa regula, vel uniformis determinatio non cadit, sed juxta conjecturalium, ac adminiculativorum generalem regulam, seu naturam, in singulis casibus, ex eorum qualitate, & circumstantiis, decisio metienda est, pro Judicis prudenti arbitrio; Ea generali norma, seu regula cadente, super distinctione, an confitentis tantum, ejusque successoris præjudicium confessio contineat, vel etiam tertii, ut primo casu, minora, in altero autem majora, magisque efficacia argumenta, seu adminicula desideranda veniant, eo modo, quo in tutorum, ac prælatorum, & procuratorum, aliorumque aliena negotia gerentium confessionis, vel quietantiis, superiùs advertitur.

Solutionis vicem quoque habet, [illegible] eumdem liberationis effectum operatur, actionum confusio, quæ ex incompatibili actionis, & passionis concursu, in eodem subjecto resultet, ut in eo casu præsertim contingit, quod creditoris hæres, debitor efficiatur, vel è conversò creditor debitoris; Ea differentia inter unum, ac alterum casum ad aliquos effectus considerari solita, ut in debitore creditori succedente, hic effectus ex sola incompatibilitatis, vel confusionis actionum ratione resultet; E conversò autem in creditore succedente debitori, id ex occulta, seu imaginaria solutione sibi ipsi facta, proveniat; Id autem pro effectuum, seu respectuum diversitate, diversas recipit quæstiones, certam pariter non admittentes regulam, sed ex pluribus distinctionibus, vel facti circumstantiis decisionem recipientes, ideòque, ut præmissum est, sub decisivo compendio non de facili explicabiles, sed in propria sede videndæ sunt.

Ab hac autem confusione, præservat inventarii beneficium, quod plurium, incompatibilium formalium, seu intellectualium personarum, debitoris, & creditoris, in eadem naturali, seu materiali persona pro respectuum, vel titulorum diversitate, concursum admittit, & conservat.

Minusque ubi tertii præjudicium exinde resultet, ut in ipsius succedentis, vel respectivè defuncti creditoribus, vel aliud jus habentibus, contingit, ubi præsertim de credito hypotheca munito agatur.

Aut ubi non simplex, ac irrevocabilis, & perpetua successio, seu hæreditaria qualitas sit, sed temporalis, ac revocabilis, ut in eo hærede contingit, qui per fideicommissum alteri restituere sit gravatus; Tunc etenim, ex præmissa incompatibilitatis ratione, pro tituli incompatibilis duratione, actiones obdormiunt, vel suspenduntur, ideòque facto restitutionis casu, atque hæreditario titulo incompatibili cessato, suas reassumunt vires, tanquam ex cessante suspensionis causa, atque ut nostri dicunt, per excitationem à somno potiùs, quam per reviviscentiam à morte. *r*

Frequens quoque in foro habetur illa solutionis species, à lege subintellectæ, vel inductæ, quæ resultat ab indebita solutione, in diversam causam facta, quam lex ad causæ debitæ extinctionem refert, ut in fructibus ex pignore perceptis *s*. Vel in indebitis usuris aliisque prohibitis accessionibus, ut in sua usurarum, & cambiorum sede advertitur, ac etiam in proximè sequenti Rubrica, obiter insinuatur, occasione differentiæ, quæ super solutionis probatione, aliisque effectibus dignoscitur, ubi indebitè soluti repetitio, vel potius ipso jure imputatio intret. *t*

Pignoris quoque culposa peremptio, vel deterioratio, inter species solutionis recenseri solet, effectu potius attento, cum id revera solutionem non redoleat, neque extinctionem debiti ipso jure inducat, efficacem tamen producat exceptionem.

Ejusdemque pignoris immutata natura, quæ per legem ex diuturna negligentiæ, cum valoris adæquatione præsumitur, eadem solutionis speciem habet, vel extinctionis effectum operatur, quia nempè ejus insolutum dationem lex subintelligat; Frequentiori quæstione cadente in ambiguo, ubi nempè debitor creditori bona tradat, nulla expressa tradendi causa, an pignori, vel dationi insolutum potius referendum sit, Cumque facti, ac voluntatis potius quam juris quæstio sit, veriùs ex argumentis, ac facti circumstantiis decisionem recipit, ut in ista, aç alia usurarum sede advertitur.

p *sub tit. de censibus disc.* 24. q *tit. de censibus disc.* 23.
r *disc.* 10. s *disc.* 144. t *disc.* 140. u *disc.* 52. *cum duobus seqq.* x *d disc.* 140 y *disc.* 115. z *disc.* 112.
a *disc.* 43. & *s qq* & 102. b *disc.* 58. *ubi de materia solutionis alteri, quam creditori de mandato Judicis.*
c *disc.* 68. d *disc.* 40. e *disc.* 132.
f *De materia præscriptionis statutaria disc.* 139 & 140.
g *De materia præscriptionis veræ de jure communi disc.* 141. & *de alienat. & contract. disc.* 3.
h *dicto disc.* 3. *de alienat. & contract.*
i *de obligatione causativa ejusque resolutione disc.* 71.
l *de hac materia compensationis, ac omnibus præmissis ad eam disc.* 46 & *seqq.* & 60. *cum seqq.* m *disc.* 78.
n *disc.* 64. & *seqq.* & *tit. de dote disc.* 64. o *dicto disc.* 64. & *seqq.* p *de his eodem disc.* 64. & *seqq.* & *disc.* 27.
q *de dote disc.* 159. *ubi de materia* r *disc.* 40. & 41.
s *disc.* 133. & *seqq.* t *Rubr. seqq.* & *sub tit. de usur.* & *tit. de cambiis.* u *disc.* 135. & *seqq.*

Cap. VII.

De repetitione ejus, quod per debitorem creditori indebitè solutum sit.

NUlla juris quæstio cadit, ut id, quod, citra donandi intentionem, ex errore, vel deceptione, debitor indebitè creditori solverit, quia debere crediderit, repeti valeat, ex ea lege condictionis, quæ indebiti dicitur, adeòut sola facti, ac voluntatis quæstio cadat, an donandi, vel potiùs debitum solvendi animo actus gestus dicatur.

Ea verò, in hac indebiti materia, generalis distinctio cadit, an voluntariè, vel coactè solutio sequuta sit, ut hoc secundo casu, creditoris potius probandi debitum, quam debitoris probandi indebitum, debeat esse onus; In altero autem voluntarię solutionis (indebiti præsumptione ab ea exulante) gravetur debitor omninò perfectæ, nimiumque concludentis probationis onere, ut contrariam possibilitatem excludat, adeòut fictæ, vel præsumptæ solutionis species, de quibus proximè præcedenti Rubrica habetur, etiam per ipsius recipientis confessionem extrinsecus non comprobatam, vel adminiculatam, ad id non sufficiant, ideoque adminiculativæ, vel præsumptivæ probationes contrariæ veritatis, vel possibilitatis capaces, non admittantur. *x*

Hinc proindè, (ut in propria usurarum sede advertitur) nimium refert, an usurarum, aliarumque accessionum solutio, imputationem ipso jure in sortem ex legis ministerio, vel operatione inducat, vel potius sub indebiti repetitione, vel condictione cadat, cum ad primum effectum, solutionis usurarum probatio levior, ac adminiculativa admittatur; Ad alterum verò rigorosior, ac perfectè conclusiva, necessaria sit. *y*

Quæstione cadente, an illius indebiti repetitio detur, quod ex parte solventis sit quid tale, non autem recipientis, quia nempè illi, qui verè creditor existat, alter qui debitoris debitorem erroneè se credat, pro eo solvat, seu quod alias in solvente verificetur indebitum, quod tamen in recipiente debitum sit; Idque aliquem opinionum conflictum habet, probabilior autem ea videtur opinio, quare negativam statuit regulam, ut qui debitum accipit, inquirere non debeat, an solvens indebitè agat; Altera verò opinio, quæ affirmativam sequitur, pro limitatione recipi debeat, quæ ex personæ solventis privilegiata qualitate, seu recipientis dolo, vel circumventione, aliavè mala fide, aut ex æquitatis, vel subsidii ratione resultet, ideòque non de facili certam recipit regulam, seu determinationem, quæ ex facti particulari qualitate pendere videtur.

x *disc.* 78. & 129. y *sub tit. de usuris, disc.* 12. & *seqq.*

Cap.

Cap. VIII.

De debito, & obligatione unius, quod ex alterius obligatione, vel contractu resultet.

EX alieno contractu, seu obligatione, alterum obligari, atque debitorem constitui, frequenter casus præ-
250 bet, præsertim verò, ac frequentiùs, per mandatarium, vel negotiorum gestorem, cui pro regionum moribus, vel negotiorum qualitate, varia congrunt vocabula, procuratoris scilicet, institoris, complementarii, vel factoris, quæ, similiaque vocabula, in idem sonant, mandatum denotantia.

Posito autem mandato tradito per eum, qui à jure communi, vel municipali, ad contrahendum, aut se obligan-
251 dum non inhabilitatus, verè illud dederit, quodque ad ejusdem mandati, limites, obligatio contracta sit, nulla juris quæstio cadit, super mandantis obligatione, ex juris regula, quod qui per alium facit, per se ipsum facere videtur; Ideòque super hujusmodi specie obligationis, facti potiùs quæstiones cadere videntur, vel super ipsius mandati, sive institoriæ veritatis, cui expressus actus non accedat, cum etiam tacita, seu præsumpta mandati datio, in jure probata sit, il-
252 ludque per conjecturas, ac præsumptiones probari posse in jure sit receptum, undè propterea quæstio, ad præsumptionum, vel argumentorum vim, seu efficaciam restricta, generalem non recipit determinationem, sed ea particularem habet, pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, eo pariter modo, quo in omnibus ambiguis, seu conjecturalibus voluntatis quæstionibus, pluries advertitur; Ponderando, an mandatarius, mandantis conjunctus, sive in aliis deputari solitus esset, cum aliis similibus circumstantiis, pro facti qualitate pensandis.

Expressa verò, vel præsumpta, seu adminiculativa mandati probatione accedente, ejus forma inspicienda est, & an fines mandatarius excesserit, & regula, ut gesta ultra
253 fines mandati, invalida sint, atque mandantem non obligent; Nisi talia sint, quæ mandati executioni, vel fini connaturalia, de natura actus; vel ex communi usu, sive ex verisimili subintellecta voluntate, quamvis expressa non sint, inesse censeantur, quod pariter, pro facti qualitate, particularem, in singulis casibus determinationem recipit.

In propriam verò ipsius procuratoris causam, mandantem obligari non posse, lex decernit; Minusque pro alieno debito merè fidejussorias obligationes facere, sive in
254 parte mandantis negotium gerendo, pro alterius virili in solidum obligare, nisi pariter facti circumstantiæ hanc potestatem suadeant. *z*

Datur è conversò ipsius mandatarii obligatio favore tertii, quamvis non ipse, sed mandans debitor sit, ut frequens
255 praxis docet in illa obligatione, quæ ex cambii litterarum acceptatione resultat, ubi ea fiat per eum, cui per correspondsalem, litteræ directæ sint, quamvis scribens non autem recipiens verè acceptæ pecuniæ debitor existat, cum ille, qui acceptat; Sive juxta unam opinionem, fidejussoris personam assumendo; Sive illam mandatarii, ut altera opinio credit, eo ipso debitor efficiatur ejus, cui solutionem fieri debere, scribens mandat.

Quæstionibus frequenter cadentibus, ubi post acceptationem, vel etiam antea, scribentis decoctio sequuta fit,
256 adeòut, acceptanti, adversùs scribentem pro summæ solvendæ reintegratione, consultum non remaneat, an ipsius acceptantis, (sive fidejussorem, sive mandatarium ipsum dicamus,) damno id cedere debeat, ideòque hoc non obstante, ad solutionem tertio prossimam, obligatus remaneat, vel potiùs è conversò, damnum sit tertii, cujus favore scriptæ sint litteræ.

In hoc autem, una opinio; quæ apud negotiatores, atque in magis mercantilibus foris verior creditur, magisque recepta est, indefinitè acceptantem obligat, quomodocumque, & quovis tempore, scribentis decoctio sequuta sit, nisi de positivo dolo, vel collusione constet, istaque opinio publici commercii libertati, ac favori, magis congrua est; Altera verò, quæ magis Juristarum subtilitatibus innixa est, atque privatis potius, quam mercantilibus, ac publicis negotiis congruit, distinctionem adhibet, an de tempore acceptationis decoctio præcesserit, vel eam subsequuta sit, ut primo casu, nulla acceptantis obligatio adesse videatur, tanquam ex jam resoluto mandato, per scribentis, vel mandantis mortem civilem; Secus autem in altero; Cum alia distinctione verisimilis, vel inverisimilis notitiæ casus in acceptante, ut in cambiorum fede advertitur.

Mandatarii autem decoctio, mandatum non excusat, quin ab eo gesta, ipsam obligent, sibique imputent, cur minus idoneo propria negotia commiserit, nisi in altero con- 257
trahente, dolus, vel collusio, seu mala fide accedat. *b*

Deficiente mandato, ratihabitio, quæ subsequatur illi, æquipollet, ejusque vim habet; Quæstione cadente retrotractionis, & an tempus gesti contractus, vel potiùs illud, in
quo ratus habitus est attendi deber; Idque à primi actus va- 258
liditate, vel invaliditate determinationem recipit, ut eo valido, ac obligatorio existente, adeòut secundus ratihabitionis actus necessitati potiùs, quam voluntati referendus veniat retrotractio intret; Secus autem in altero. *c*

Omniaque generaliter in procuratore, seu mandatario
procedentia, in institore, seu complementario, omnique 259
alio negotiorum gestore, ex rationis identitate pro subjectæ materiæ natura, recipienda quoque veniunt.

Ex socii contractu, ac obligatione, consocius obligatus remanet, nulla curata causæ expressione seu veritate, quo-
ties universalis societas accedat; Ubi verò particularis, 260
tunc, vel causæ expressio requiritur, quamvis de versione non constet; Vel ista, quamvis illa desit; Nisi contractus qualitas, de sui natura, implicitam præseferat socialis negotii causam, quamvis ea non exprimatur, eam aliis distinctionibus, de quibus, utpotè non de facili sub compendio cadentibus, in sua fede habetur; Cum ex facti circumstantiis, præsertim verò ex negotiorum qualitate, seu natura, atque regionum, seu locorum, vel negotiatorum legibus, vel stylis, hujusmodi quæstiones determinationem congruam recipiant.

Societatis autem dissolutio, quæ per reciprocum consensum, vel etiam, per unius sociorum mortem, eo ipso
sequi dicitur, nisi inter superstites nova ineatur, quamvis 261
simplicia, & adminiculativa, quæ sufficit, non semper consocium liberat ab iis, quæ ab altero gesta sunt; Vel quia scilicet de negotiis, societate durante præparatis, agatur quamvis ea dissoluta perfecti sint; Vel quia tertio, negotii socialis, omnumque sociorum fidem sequente, dissolutio pro regionis moribus, vel negotiorum stylo, non benè publicata, probabiliter ignota sit, cum pro durante habeatur, inter ipsos tamen, relevationis obligatione vigente.

Solidi sociorum obligatio est, atque ad illud unus alterum obligat; ex ratione mandati, quod unus ab altero habere dicitur, cum negotio etenim sociali contrahentes
262
unius intellectualis, vel collegiativæ personæ per plures constitutæ fidem sequi dicuntur, non magis unius, quam alterius fidem inquirendo, cum unius tantum probata fides æstimari soleat.

Ubi verò societas non adsit, nominis tamen accommodatio accedat sive explicita sit, sive implicita, per patientiam, ut ejus nomine contrahens utatur, eumdem effe- 263
ctum parere solet, nisi facti qualitas aliud exigat, pro facti qualitate, ex qua decisio pendere solet.

Tutoris, vel curatoris, ac prælati, & sive alterius legalis administratoris actus pupillum, vel minorem, sive 264
Ecclesiam, aut alium sub administratione viventem, quoque obligat, ubi tamen solemnitas, & causa, aliaque de jure requisita accedebant, de quibus in peculiari tutorum, ac administratorum fede, vel in altera alienationum, ac prohibitorum contractuum advertitur. *e*

Civium, seu aliorum, universitatem, seu collegium constituentium, ex contractu per ipsam universitatem, 265
seu Civitatem, aut collegium inito, obligatio quoque resultare solet, ubi ea accedant requisita, quæ ad id lex necessaria reputat. *f*

Omniumque frequentior, ea est obligatio, ex alieno facto producta, quæ in hærede, aliove successore, locum
sortitur, ob defuncti contractum, istaque nedum legalis 266
est, ex eo quasi contractu prodiens, quem hæres, adeùn-
do hæreditatem, inire dicitur cum defuncti creditoribus, seu alias jus cum eo habentibus; Verum expressa quoque datur, cum defuncto licentiam lex tribuat, proprium hæredem, ejusque bona obligandi. Sola verò potestas non sufficit, nisi voluntai accedat, ad speciem redacta, seu explicata, vel ea implicita accedat, quam obligationis formula contineat, ut ex camerali obligatione sequi receptum est; Nisi ea ad propria ipsius contrahentis bona, restrictionem contineat, ob quam, obligandi bona hæredis voluntas exclusa remaneat; Ideòque tanquam quæstio voluntatis, ac facti potiùs, quam juris, certam non recipit regulam, sed ex ejusdem facti qualitate, ac circumstantiis, in singulis casibus, decisio quærenda est. *g*

Per

Per filium, pater quandoque obligatur, quia nempè ex causa prælaturæ, vel publicorum munerum, sive alimentorum, ac simili, filius debita contrahat, ad quæ pater obligatus remanet pro facti qualitate, juxta distinctiones, de quibus in sua fede. *h*

z de contractibus, aliisque actibus gestis per procuratorem, vel negotiorum gestorem disc. 72. 75. & seq. & 84. & seq.
a *disc. 84. & seq. & sub tit. de cambiis disc. 23.*
b *tit. de Regal. disc. 115.*
c *disc. 13.* d *disc. 87. cum seq.*
e *de contractu Abbatis, vel Prælati hoc tit. disc. 82.*
f *tit. de alienat. & contract. disc. 23. & seqq. & sub tit. de Regal. disc. 98.* g *disc. 36. & seqq.* h *disc. 86.*

Cap. IX.

De concursu creditorum, eorumque privilegiis, sive anteriotatis, ac potioritatis ordine, ac ejus, quod jam uni solutum est, avocatione, alteri competente.

INter illas personas, concursus, vel ordinis quæstiones cadunt, quæ coæquali creditorem titulo, inæquali tamen jure, de satisfactione contendat, super iis communis debitoris bonis, quæ de ipsius dominio fuerint, vel sint, non autem inter eos, qui inæquali, seu diverso titulo ve-
267 niant, uno scilicet dominii, & altero crediti, cum primus titulus (ubi per veritatem competat,) nulla data discretione temporis, vel privilegii semper vincat secundum, qui quomodocumque conceptus, jus quidem tribuit ad proprias debitoris bona, non autem ad aliena, ideoque ille, qui jure dominii rem suam vendicat, quam, ex furto, vel spolio, aliaque illicita occupatione, vel etiam ex regulari deposito, vel commodato, sive alio, etiam alienationis titulo resoluto, debitor possideat, nullum concursum admittit ejusdem possessoris, vel detentoris creditorum.

Quæstione cadente, ubi eadem res propria non esset, sed ejus pretium, aliave res, quæ mediatè, vel immediatè ex ipsa re obveniat, ac jure subrogationis, in idem coincidat dominium, quod quasicumque hypothecas, aliave credito-
268 rum jura vincat; In hoc autem, ubi de re immediatè obventa tractaretur, regula subrogationi assistit; Ubi autem de pretio, vel de specie ex eodem pretio mediatè comparata, regula eidem subrogationi resistit; Nisi Judicis, vel Principis auctoritas; Sive ipsius acquirentis explicata voluntas; Aut dominii prioris rei privilegium subsidiarium, aliter suadeat, dictæque regulæ limitationem inducat, juxta eas plures distinctiones, ac declarationes, de quibus, utpotè non de facili sub compendio cadentibus, in sua fede, vel fonte subrogationis videndum est. *i*

Illud autem speciale in Romanæ Ecclesiæ temporali immediata Italica ditione dignoscitur ut resoluto etiam, vel resolubili quocumque debitoris dominio, ejus creditores
269 quamvis simplices, & chirographarii, omni hypotheca vel privilegio destituti, vincant eum, qui jure dominii bona possideat, seu vendicare velit; Ubi scilicet, de illis bonis agatur, quæ per debitorem Baronem, vel Domicellum, jure proprio jurisdictionalia bona, cum jurisdictionis potentia, & exercitio habentem, possessa sint, vel possideantur, fideicommissi, vel majoratus, aut investituræ jure, ex quo successor, tanquam dominus possideat, seu vendicet; Ita ejusdem Ditionis disponente particulari lege, per quam fingitur, ut resolutio quæ aliàs de jure sequuta est, vel sequi debet, locum sibi non vendicet, cum requisitis tamen, ac declarationibus, de quibus in sua fede. *l*

Quamvis etenim creditor, quandoque vincat eum, qui jure dominii possideat, seu dominii ratione vendicet; Id tamen sequitur in iis bonis, quæ de debitoris dominio jam
279 fuerint, ab eodem, immediatè, vel mediatè in alterum indebitè translata, ideoque jus creditorum operetur hujusmodi dominii resolutionem, vel annihilationem, perindè ac si nunquam à debitore abdicatum esset; Secus verò ubi dominus concurrat jure suo, à debitore independenti.

Procedunt hæc, ubi per veritatem, ac proprietatem, bonorum vendicator, vel possessor, domini personam gerat, atque de vero, proprioque dominio, (quod ad omnes effectus penes eum resideat;) agendo, vel excipiendo, opponat, cum tunc, nulla concursus creditorum alterius non domini, cadat quæstio, seu dubitandi ratio urgeat.

Non improbabilis autem dubitandi ratio cadit, ubi, verè, & propriè, creditoris personam quoque ille, qui jus dominii allegat, gerere dicatur, de quodam facto seu intellectuali, non autem vero, ac proprio dominio opponendo; Ut in eo frequens praxis docet, qui re sua vendita, pretii siquidem habeat, cujus solutione pendente, pro ejus assequutionis cautela, ipsius rei dominium sibi reservet.

Quamvis enim plurium sententia sit, ut hæc reservatio, conservatio, contractus venditionis perfectionem, ac de
consequenti etiam veri dominii abdicationem, ac respecti- 271
vè translationem impediat, alterum locationis, & conductionis contractum (hujusmodi conditione pendente) occultando; Improbabilis tamen, minusque recepta videtur hæc opinio, probabilior autem altera, ut datis hujus contractus requisitis, ad ejus perfectionem necessariis, positaque traditione, verus dominus emptor efficiatur, suæque sint, periculi, & commodi sequelæ; Venditor autem purus prætii creditor sit, cui ex quadam æquitate, fructuum rei æquivalentia, donec pretium obtineat, ab emptore reficiatur; Reservatio autem dominii, istud fictum, seu intellectuale importet, pro quadam potioritatis, nimium æqua, & rationabili prærogativa, seu ob animi explicationem, vel conditionis adjectionem, ita subintellectam, nè alteri in re sua jus quæri valeat, nisi prius ea purificetur solutionis pretii conditio, sub qua tradidit, alias non traditurus.

Ideoque lex meritò potioritatem, concedit adversùs omnes quantumvis antiquos, vel privilegiatos anteriores creditores in ipsa re, vel altera, in qua subrogatio ut supra intret.

Dummodo tamen, ante alienationis perfectionem, ac 272
dominii translationem, vel in ipso instanti, tanquam actus individui pars, talis lex, vel conditio adjiciatur; Secus autem si ex intervallo, postquam res de dominio debitoris effecta est, quamvis breve, ac penè momentaneum sit, cum tunc, jus hypothecariis creditoribus, in ipso acquisitionis quæsitum, ita tolli, vel præjudicari valeat.

Ubi verò, non integri pretii, sed partis fides, cum hu- 273
jusmodi reservationis cautela, habita sit, sit, alia parte soluta, tunc quæstio est, an pro virili, res de pleno emptoris dominio effecta sit, adeout, ejus creditorum, ac venditoris, æqualis, ac proportionabilis esse debeat concursus, æqualisque fortuna, super ejusdem rei intermedia naturali, vel accidentali diminutione; Plerisque id affirmantibus; Aliis verò negantibus; Istaque posterior sententia probabilior, magisque recepta videtur; Potissimum verò ubi reservationis lex, vel conditio integri pretii assecurationis adjecta sit. *m*

Aliqua majori, non improbabili dubitandi ratione ca- 274
dente, ubi de illo creditore agatur, quid ad ipsius pretii dissolutionem crediderit; Adhuc tamen, nisi de pura jurium venditoris cessione, sibi caverit, vel de subintrationis pacto, cui ipse venditor purum præbuerit assensum, probabilitas major venditori assistit; Ex ea congrua ratione, quod emptoris fidem alias non sequuturus, ob rei suæ contingibilem diminutionem, vel deteriorationem, ita & non alias in parte sit sequutus, sibique mutuator imputet, cur absque dicta cessionis cautela, emptoris fidem sit sequutus; Clarius verò ubi talis mutuator, qualificatam venditoris cessionem reportet, ac acceptet, ut contra ipsum cedentem non sit retorquibilis, ipsumque non afficiat. *n*

Conceditur autem hoc potioritatis beneficium pro sola 275
pretii sorte, nullatenus verò pro usuris, vel accessionibus, quamvis licitis, ac debitis, præterquam in jam extantibus fructibus; Secus autem ubi, ex non extantibus, & consumptis, debitum proveniat, cum tunc dominii ratio nullatenus congruat, ideoque in hac parte venditor, emptoris fidem sequutus, nudi creditoris personam gerendo, in aliorum creditorum concursu veniet. *o*

Alterum quoque venditori jus vendicationis, ex domi-
nio in re sua, conceditur exclusivè ad quoscumque empto- 276
ris creditores, quamvis venditionis contractus, ex requisitorum concursu, perfectus existat, atque ad traditionem quoque adventum sit; Ubi nempè pretii fides verè habita non sit, sed sub spe, vel justa credulitate, momentanea, seu alias promptæ solutionis, traditio sequuta sit, ad quam venditor, emptoris dolo ita inductus dici valeat; Seu alias actum gesserit cum hoc præsupposito, quod consensum ab actu adimat, ut in mercibus, aliisque manualibus, rebus frequens praxis docet. *p*

Sive debitum, jam existens, vel imminens seu preparata 277
emptoris decoctio, eamdem doti rationem inducat, sive deficientiam animi ejus fidem sequendi, lex præsumat.

His autem non verificatis circumstantiis, venditor, etiam 278
in re alias sua, aliorum creditorum fortuna currere debebit, atque in concursu veniendo, ab anterioribus exclusionem patie-

patietur, nisi lex, vel usus loci aliter disponat, ut aliquarum regionum praxis docet; Facti verò potiùs, quam ju-
279 ris, idcircò agi solent quæstiones, in mercibus præsertim, quæ de loco ad locum emptori, per venditorem transmittantur sub futuræ solutionis pretii fide; quando scilicet venditio, seu dominii translatio perfici dicatur, Idque ex facti circumstantiis, aliisque distinctionibus, in sua sede recensitis, decisionem recipit. *q*

Illis juris quæstionibus cadentibus, quæ potestatem ven-
280 dendi, ac dominium respectivè transferendi, pretio non soluto percutiant, ut in iis alienationibus contingit, quæ per tutores, aliosque legales administratores fiant; Ac etiam per procuratores, aliosque quamvis voluntarios, & conventionales administratores, vel negotiorum gestores; absque speciali facultate per mandantem, seu dominum attributa, sive per legem ex subjectæ materiæ natura, vel administrationis qualitate, seu regionis usu, eadem facultas subintelligenda veniat.

Eadem prærogativa, vindicationis jure hujus improperii, ac intellectualis dominii, tamquam per speciem dictæ
281 reservationis per legem subintellectæ, seu verius ob actus invaliditatem ipso jure, vel rescissionem ope exceptionis, seu restitutionis in integrum beneficio competente iis, qui ætatis, seu alias imperfecti, vel imbecillis judicii ratione, rei propriæ dominium, ita minus cautè in alterum transtulerint, cum ita per actus retrotractionem, pro non translato habendum veniat, ideoque titulus creditoris cesset, atque ille dominii.

Eamdemque prærogativam, absque tamen ista veri dominii resolutione, vel reassumptione, sed crediti titulo adhuc durante, lex mulieribus concedit in iis bonis, quæ
282 jure occultæ venditionis, æstimata viro tradita sint pro dotis solutione, quæ in quantitate consistat, quoties ita subsidii ratio exigat, cum iis declarationibus, de quibus in peculiari dotis sede. *r*

Cessante igitur dominii prærogativa, adeout omnium idem sit creditorum **titulus**; **Ea primitus cadit inspectio**,
283 vel distinctio, inter eos, qui conventionalis, vel legalis hypothecæ beneficio muniti sint (hypothecarii proinde appellati;) Ac eos, qui hypotheca destituti, solam habeant personalis actionis competentiam (quibus chirographariorum vocabulum lex tribuit;) Inter ista enim genera, nullus est concursus, cum hypothecarii, nulla data temporis, vel privilegii ratione, quoties præmissa dominii prærogativa non accedat, potiores existant, nullumque cum eis concursum, chirographarii habeant.

Nisi ubi debitoris, imminens, ac præparata, seu à particulari lege præsumpta debitoris decoctio, istum æqualem
284 concursum producat, ut in aliquibus regionibus, mercatorum leges statuisse videntur. *s*

Aut ubi, eadem, de qua supra dominii ratio, per improprietatem accedat, ex eo beneficio per legem introdu-
285 cto, quod separationis bonorum dicitur, ut frequens praxis docet in eo concursu, qui sequatur in bonis hæredis, vel alterius, qui duplex possideat patrimonium, proprium scilicet, ac defuncti, cum ex dicto separationis bonorum beneficio, defuncti creditores, quamvis chirographarii, solamque personalem habentes actionem, hæredis, vel alterius successoris creditores, in ipsis defuncti bonis, vincant.

Nisi de feudis, aliisque prohibitis, ac differentibus bo-
286 nis agatur, quorum respectu, quæstio est, an domini assensus, vel altera qualitas, juris realis attributiva, hujusmodi separationis beneficium neget, ideoque etiam creditoribus defuncti in istius bonis concursum cum ita qualificatis defuncti hæredibus neget, super quo opinionum conflictus habetur, ut etiam in sua peculiari feudorum sede advertitur. *t*

In ejusdem quoque debitoris bonis, inter ejusdem creditores respectivè, idem separationis beneficium, sive ejus
287 species, vel imago, cadere solet, ut ejus medio, chirographarii, multò magis hypothecarii, quamvis posteriores hypothecarios, vel anteriores vincant; Ubi scilicet pro negotiorum vel regionum, sive bonorum diversa qualitate, lex duplex omninò diversum, atque inter se distinctum fingat patrimonium, duasque inter se diversas, ac distinctas, intellectuales, seu formales personas, in eadem materiali fingat, vel supponat, ut in mercatoribus, vel feudatariis, ac militibus, seu clericis, ac aliis, de quibus in sua sede, praxis docet, cum tunc ad præfati beneficii instar, unius patrimonii creditores chirographarii, vincant illos alterius, quamvis hypotheca, & privilegio munitos, utpotè diversæ personæ, cum declarationibus, in sua sede contentis. *u*

Atque hinc manat assumptum, per forensium ora volitare solitum, ut creditores societatis, in bonis ad eam, vel sociale negotium pertinentibus, vincant anteriores, ac privilegiatos singulorum sociorum creditores privatos; Nisi tamen ea bona, quæ in sociali negotio posita sunt, præcedenter affecta essent hypothecis, quas pro eorum natura, seu qualitate, adhuc retinerent, etiam ubi in tertium translata essent, cum tunc, in lucris seu incrementis, idem assumptum verificabile maneat. *x*

Æqualis etiam concursus, absque hac hypothecæ discretione, intrat in iis differentibus bonis, quæ in commer- 288
cio non existentia, hypothecæ incapacia non sint, atque sub ea non cadant, adeout, nulla directa, realis, vel rei persequutoria actio competat, minusque jus aliquod quæsitum esse dici valeat, quod rei substantiam tangat; Solumque ex nobili Judicis officio, quod nulli inserviat actioni, sive potius ex Principis indulgentia, vel extraordinario remedio per creditores implorato, hujusmodi rerum differentium venditio fiat, ut ex pretio satisfiat creditoribus; Tunc etenim cum in ea re, quæ hypothecæ incapax est, omnium æqualis chirographaria conditio existat, hinc propterea, in pretio, quod ob Principis, vel Judicis factum, loco rei subrogatum supponendum est, ejusdemque naturæ, omnium æqualis in puncto Juris conditio est. *y*

Quamvis etenim, in superius enunciata peculiari temporalis Ecclesiæ Ditionis lege, super Baronum debitis 289
edita, contrarium praxis doceat; Eadem tamen urgente ratione, dum in pretio bonorum hypothecæ non affectorum, atque ex Principis extraordinario beneficio distractorum, anterioritatis, ac potioritatis ordo servatur; Attamen ita sequitur, quia sic expresse eadem lex disponat, Ideòque locorum, seu Tribunalium legibus, vel stylis, in hac bonorum specie deferendum est, quamvis juris communis regulæ, vel rationes alias disponant, cum sæpius commercii favore ab rigore deflectere congruat, vel 290
quia receptum usum servare oporteat.

Ubi verò, hac discretione cessante, inter ejusdem generis, vel qualitatis creditores, concursus fiat, quia nempè omnes chirographarii sint, vel omnes æque hypothecarii, Ejusdemque concursus quæstio fit, super indifferentibus bonis, quæ in libero privato commercio existant.

In primo chirographariorum genere; Regula est, ut nullum temporis, vel anterioritatis privilegium detur, 291
nullaque discretio, vel inæqualitas intret, sed omnium eadem sit conditio, atque æqualis concursus, omnesque per contributum illi subjaceant diminutioni, quam ex patrimonii insufficientia, pati oporteat.

Ea solum inter eos cadente potioritate, quæ ab aliquo privilegio per legem attributo resultet, quod potissimum 292
est illud, quod à depositi, quamvis irregularis, causa oritur, ita quadam æquitate, seu commercii ratione exigente; Quamvis etenim, regulari tantùm deposito istud privilegium competere, atque de illo id intelligendum esse, aliquorum opinio sit; Non tamen ea recipienda videtur, cum tunc ex iis, quæ superius insinuata sunt, non crediti, vel creditorum concursus, sed dominii, ac vindicationis termini cadant; Ideoque irregulari deposito id referendum est, cum alias fatua legis provisio remaneret; ita tamen, ut suam retineat naturam, quæ ex usurarum conventione, aliavè circumstantia, corrupta non sit. *a*

Quinimò, ubi de illis agatur depositis, quæ in sacra, vel publica æde, pro publica utilitate, vel commoditate erecta, in deponentium gratiam principaliter fiant, unde resultet, ut quamvis commixta, vel confusa, ir- 293
regularia potius, quam regularia de stricto jure censenda sint, adhuc tamen, quoad periculum, quod ex fortuito casu contingat, regularium potius naturam habeant, ut in sua sede, seu fonte advertitur, *b* ut tunc, adversus privatos depositarii creditores, quamvis hypotheca, & privilegio munitos, idem privilegium, tamquam per speciem dominii, seu vendicationis ex rationis identitate, intrare debeat; Æquali concursu, seu contributo inter ipsosmet deponentes solum cadente; Super quo tamen, locorum moribus, vel stylis deferendum est.

Idem quoque privilegium, causæ discretio producit, ubi onerosa, altera verò lucrativa fit, cum primam potius implere congruat, incongruat autem alteri, æqualem 294
dare concursum. *c* Idemque ubi æquitas, vel humana ratio,

tio, pro Judicis prudenti arbitrio id suadeat; Sive quod locorum leges, vel mores, ita receperint, adeòut praxis doceat nonnulla dari personalia credita, quibus potioritas
295 etiam adversus hypothecarios, ac privilegiatos concedenda sit, ut ex juris communis dispositione, vel intentione, in expensis ultimæ infirmitatis, ac funerum, receptum est, ac in plerisque locis, pro certis respectivè ratis, ex causa victualium, ac vestitus, sive pro famulorum, vel artificum mercede statutum, vel receptum est, cum similibus; Ut etiam inter chirographarios venditori in re sua indulgendum videtur.

Quamvis etenim, inter hæc adeo privilegiata credita, 296
& si personalia tantum, ut etiam hypothecarios, ac privilegiatos creditores vincant, administratorum, ac advocatorum, & procuratorum, aliorumque operantium salaria, seu mercedes, ac etiam judicialium actorum expensæ, vel similes necessariæ, seu oportunæ recensentur: Non tamen privilegii ratione, per legem positivè concessi, id provenit, sed ex ratione naturali, deductionis, quæ priùs facienda est, id oritur, quasi quod concursus in iis bonis cadat, quæ deductis priùs hujusmodi, ac similibus expensis superfint, sive quod eis congruat inferius recensendum privilegium ad rem conservandam, vel reficiendam mutuantium; Illud etenim legis privilegium est quod ex naturali tamen ratione, vel æquitate manat, quod etiam contra hypothecarios anteriores, ultimæ infirmitatis vel funerum expensis, aut etiam alimoniis ex lege communi, vel municipali competit.

Hypothecariorum verò, duplex species est; Eorum scilicèt, qui conventionalem ex propria providentia sortiantur hypothecam, cui expressæ, seu legalis vocabulum,
297 vel terminus tribuitur; Ac eorum, qui absque conventione, vel providentia, illam obtinent ex legis beneficio, istaque tacita, seu legalis dicitur; Prima vero expressæ, seu conventionalis species, aliam recipit distinctionem, inter specialem, ac generalem.

Omnium tamen, eadem conditio est, circa concursum, ut scilicèt, temporis ordo attendi debeat, atque priores vincant eos, qui tempore posteriores existant, nulla da-
298 ta, expressæ, vel tacitæ, sive generalis, vel specialis hypothecæ discretione.

Nisi ea, quæ ex probabili, magisque recepta sententia dignoscitur, quoad ea potioritatis privilegia, quæ ex mera legis benignitate, ac indulgentia posterioribus hypothecis, adversùs anteriores tributa sint; Ut in dote restituenda, mulieris, vel filiorum favore statutum est, quoniam licèt generaliter lex loquatur, ejusque generalitate attenta, scho-
299 lastici, legis litteræ, grammaticorum more inhærentes, generaliter eam accipiant, etiam adversùs expressas, & conventionales hypothecas, probabilius tamen forenses, ad tacitas, seu legales tantum id restrinxerunt; Ex ea nimium probabili ratione, quod facilius lex tollit id, quod suum est, atque ex ejus providentia, seu privilegio manat, quam quod privatus, ex propria industria, seu providentia quæsivit, quod de facili, sine publicæ utilitatis, vel necessitatis justa causa, fieri non debet. *d*

Adeòut non desint, qui in lege positiva viva, vel mortua, hanc potestatem negent, quoties insinuata publicæ
300 necessitatis, vel utilitatis ratio non accedat; Cujus tamen contrarium verius est, quoniam hypothecæ, quamvis expressæ, & conventionalis privilegia, vel operationes, ipsius legis positivæ inventum continent, atque ab ejus providentia manent, ideòque nil datori prohibet, auferre id, quod ipse dedit; Benè tamen, honestatis, vel congruentiæ ratio id vetat, cum non omne quod licet, honestum. *e*

In utraque pariter; legalis, & conventionalis hypothecæ specie, eadem intrat generalis regula, seu proposi-
301 tio, ut ea, sine legis, vel hominis voluntate, subintelligenda non sit, ideòque non cadat, nisi ubi expressa legis, vel hominis voluntas verificetur. *f*

Hinc propterea, in conventionali, voluntatis quæstiones cadunt, quæ facti potius, quam juris dicuntur, ideòque pro facti qualitate decidendæ sunt, certam, ac generalem non
302 admittentes regulam, an scilicet heredum bona hypothecata sint; Vel etiam ea propria, à quibus alicujus prohibitionis ratio, vel pœnarum incursus, hypothecandi voluntatem verisimiliter excludat; Atque in utraque bonorum specie, exclusioni potius regula assistit, ex facti circumstantiis limitanda, præsertim verò in hac secunda prohibitorum specie, ubi in aliis adjecta hypotheca verificabilis non sit. *g*

Eademque voluntatis exclusio, in aliquibus suppellectilibus, aliisque manualibus, pro locorum moribus, vel personarum qualitate, aliisque circumstantiis intrari solet, 304
nulla tamen firma, seu generali regula cadente, quæ cuicumque casui applicari valeat, cum singulorum decisio, pro eorum peculiari qualitate diversa sit.

Atque hinc, pro communi usu, eademque æquitativa ratione, pro commercii libertate inducta, ob quam mercium aliarumque manualium rerum hypotheca prosequu- 305
tionem non habet adversùs tertium, qui ex bona fide onerosò titulo quæsierit.

Ita ejusdem hypothecæ prosequutivo, adversùs illum mutuatorem, seu alium creditorem, qui sub veri, ac manualis pignoris fide, crediderit, alias non crediturus, deneganda 306
videtur; Quasi quod hujusmodi manualia, ut promptè necessitatibus occurratur, retineri solita, ex verisimili voluntate, sub generali omnium bonorum hypotheca non cadunt. *h*

In legali patiter hypotheca, insinuatam regulam, ut ea non intret, nisi ubi per legem attributa legatur; Super ejusdem legis implicita, seù virtuali voluntate, quæstiones ca- 307
dunt in casibus, quibus eadem congruat ratio, ob quam ea concessa est; Idque probabilibus, magisque receptum videtur, ut scilicèt illa hypotheca, quam lex, pupillis, vel minoribus adversùs eorum tutores, & curatores concessit, vel filio adversùs patrem, vel mulieri adversùs virum extradotalia administrantem (à die susceptæ administrationis, non autem ex tempore, quo per illa malè sequatur metienda;) Concedi quoque debeat, amentibus, prodigis, Ecclesiis, & piis locis, cæterisque omnibus, qui per seipsos, à natura, vel accidenti, administrare impediti, vel prohibiti, sub alie- 308
na administratione, ex ejusdem legis, vel Judicis necessitate, seù provisione, vivere cogantur, cum omnibus eadem congruat ratio, ideoque ex legis verisimili voluntate, eadem congruere debeat dispositio. *i*

Super accessionibus autem, quæ sub fructuum, vel usurarum, sive interusuriorum vocabulo explicari solent, aliisque consecutivis, vel dependentibus à principali debito, pro 309
quo, una, vel altera hypothecæ species competat, quæstiones cadunt, an eadem ad hæc accessoria, seu dependentia trahatur, adeout eodem sortis principalis jure censenda sint, idque non levem Juristarum pugnam habet; Ea tamen distinctio in praxi recepta est, quod; Aut ejusdem stipulationis jure veniunt, sub qua ipsius debiti solutio promissa est, & eadem sit natura; Aut verò Judicis officio, sive alio jure à dicta stipulatione diverso, & secus.

Idemque judicialibus, ac aliis expensis, congruit, quas pro debiti recuperatione ac debitoris coactione facere oportet, cum eadem sit ratio, quoties tamen de illis expensis 310
agatur, quarum refectio de jure debita sit.

Hinc proindè, facti potius, ac applicationis, hujusmodi quæstiones videntur, quando scilicèt una, vel altera pars distinctionis locum sortiatur quod ex obligationis verbis, 311
vel clausulis, determinationem recipit, an scilicèt ista explicita conventio adsit; Eaque non accedente, an adesit implicita, quæ inesse dicitur in generica stipulatione, ad damna, & interesse, quæ de communi stylo in instrumentis adiici solet pro generica omnium conventorum observantia, ac etiam in forma cameralis, vel quarantigiatæ, obligationis inest. *l*

Ordinis autem prioritatis, ac temporis regula hæc, non semper firma est, quamvis de indifferentibus bonis agatur, 312
cum plures recipit limitationes, eam potissimum, quæ ab æqualitate, seu identitate causæ resultat; Si etenim pro ejusdem rei acquisitione, vel pro ejusdem debiti dissolutione, sive pro alterius causæ implemento, plures in eam, atque cum conventione cautelæ, ex illa resultantis diverso tempore eidem debitori crediderint, omnium est æqualis fortuna, seù concursus, ac si eodem tempore, vel momento, per unicum actum credidissent, quamvis pro generali more contradicentes non desint. *m*

Prout causæ credendi qualitas, posteriorem, anteriori potiorem reddit, ubi nempè ad ipsius pignoris, vel hypo- 313
thecatæ rei, super qua concursus quæstio fit, in refectionem vel conservationem, seu acquisitionem (versione presupposita) creditum fit.

Ea discretione, inter causam refectionis, vel conservationis, & alteram novæ acquisitionis militante, ut in prima specie, sola expressio causæ sufficiat, quæ juncta cum versione 314
desideratur; Nil etenim referet, an pecunia debitori simpliciter credita fit, cuicumque usui, pro libito applicabilis, quæ in istam causam erogetur; In altera verò emptionis, vel ac- 315
quisitionis specie, ultra eadem eque necessaria requisita, alterum specialis hypothecæ ejusdem rei necessarium est. *n*

In

In hoc eteuim, dura lex, humanæque rationi adversa videtur, ut ista formalitate cessante, in re quæ ex propria pecunia quæsita sit, per creditores anteriores acquirentis ex-
316 cludatur; Quinimò (quod durius) ut ipsemet venditor, qui pretii fidem habuerit, nisi de superius insinuata cautela reservationis dominii sit sollicitus, à prioribus excludatur; Vel nisi accedat ratio dominii, quod à priori domino abdicatum non sit, ob fraudem, vel inhabilitatem vendentis, ut superius insinuatum est.

Personæ quoquæ privilegium, hanc potioritatem produ-
317 cit, ut in dote per virum restituenda, non autem per dotantem solvenda, lex favore mulieris, ac liberorum tantum, non autem extraneorum, adversus anteriores hypothecas statuit, quod (ex jam insinuatis, ad solas legales non autem ad conventionales hypothecas, forensis usus merito restrinxit, ut in peculiari dotali latius. *o*

Fisco non quidem pœnali, seu alias lucrativam causam
318 foventi, sed de onerosa, atque correspectiva causa contendenti, cum iis, qui ex causa publicæ administrationis, seù aliàs ex fiscalium rerum conductione, vel appaltu, directi, ac immediati debitoris existant, idem potioritatis privilegium, adversus tam conventionales, quàm legales hypothecas, pro ejus, & sic legali tantum hypotheca, in bonis posteà quæsitis, conceditur, non autem in iis, quæ antè fiscalem debendi causam, debitor obtinebat, in quibus jure privati creditoris solo temporis beneficio potitur, quod ab illo susceptæ administrationis, non autem ejus mali exercitii pro legali hypotheca metiendum est. *p*

Primipilari causam tantum majus privilegium habente,
319 ut etiam in bonis præteritis competat potioritas; Quæstione cadente, an, & quomodo ista causa hodie verificetur, & an sit in usu, ut in sua sede. *q*

Alia quoque cadente quæstione, an Baronibus, aliisque inferioribus Dominis qui veri fisci jura non habeant, hoc privilegium competat; Probabilior verò est negativa quoad potioritatem; Affirmativa verò quoad legalem hypothecam admitti debeat, cum legalis, ac penè necessaria videtur administratio. *r*

Stante autem exæquatione, quam alia occasione, inter fiscum, & dotem lex facere visa est; Una opinio, doti
320 quoque hanc potioritatem adversus conventionales hypothecas, in bonis posteà quæsitis tribuit, quod non placet, minusque probabile videtur, nisi probabilia urgeant argumenta, quod ex ipsa dotali pecunia, bonorum acquisitio proveniat. *f*

Plerisque aliis pro bonorum cultura, vel fructuum recollactione, ac præparatione, sivè pro animalium pastu-
321 ra, & similibus, Juristæ potioritatem, adversus priores conventionales hypothecas, tribuunt, quod sub prima potioritatis enunciata specie, refectionis, vel conservationis cadit; Piures circà concursum inter se ipsos, (inter quos locator pro pensione fundi recensetur,) retexendo quæstiones majoris, vel minoris potioritatis, non de facili sub compendio explicabiles, ideoque in sua sede videndas. *t*

Inter æque autem privilegiatos, consequentis privilegiis,
322 temporis ordo, more privatorum intrant; Nisi qui ad rei acquisitionem credit, de cautela sibi consuluerit, quæ resultat à pacto, anteà, vel incontinenti, non autem post acquisitionem adjecto, ut nemini in ejus præjudicium in re acquirenda jus competat, vel quæreatur; Aut ubi creditum, ex culturæ, vel conservationis causa, referri mereatur, utpotè per ipsummet creditorem anteriorem faciende, si pignus possiderent, ejusque dominus esset. *u*

Causæ debendi diversitas, pro antiquorum sententia eamdem diversitatem convincit, ut nempè, onerosa po-
323 sterior, lucrativàm anteriorem vincat, quamvis hypotheca munitam; Quod tamen non admittit opinio recentior, quam forus magis recepisse videtur, ubi fraudis, vel collusionis ratio cesset, quæ priori opinioni locum relinquat, quamvis prima rationabilior videatur, altera verò de stricto juris rigore verior. *x*

Posterior quoque, sibi priorem, alteri tamen antiquiori jam dimisso posteriorem, vincere frequenter solet, ex primi jam dimissi juribus, in quibus succedere dicatur ille po-
324 sterior, de cujus pecunia dimissio facta sit; Quoties tamen in eam causam, eaque intentione jur ium cessionem reportandi, vel in locum subintrandi, pecunia credita sit; atque alterum versionis requisitum accedat; Secus autem, ubi debitori, ad ejus liberum usum pecunia detur, quamvis id pro ipsius debitoris electione erogata sit; Ideoque facti potius quæstio remanet, super existentia hujusmodi requisiti, quod adminiculativa probatione contentum videtur; Eodem modo, quo receptum est, ut in altero versionis ea sufficiat; Confessionis autem, vel pacti de subintrando requisitum, ad effectum agendi, non autem ad alterum excipiendi in possessore desideratur, dummodò in eam causam, eoque animo dimissio sequuta sit. *y*

Involuta verò apud modernos est quæstio, an hæc succes-
sio ultimi in locum primi, ob quam excludat medios, an
usuris, aliisque accessionibus operativa, sit quod probabi- 325
lius ex distinctione in sua sede recensita determinationem recipit.

Vincit quoque posterior priorem, in iis bonis, quorum distractioni, prior consensum præbuerit, fortius vero si illorum pretium in causam proprii debiti obtinuerit, quam- 326
vis eadem bona, ex diversa non tamen ex eadem causa, ad eumdem redeant debitorem, quoniam sub futurorum hypotheca non cadunt, atque remissio semel inducta semper operativa remanet, eaque resultat, quamvis pignoris distractioni consensus non præcesserit, sed ratihabitio sequatur, cum declarationibus, de quibus in sua sede. *z*

Quæstione cadente, quoties nullo accepto ipsius pignoris pretio, gratuita, seu benevola remissio sit, in unius ta-
men creditoris gratiam facta, an aliis posit, qui eumdem 327
vincant, idque varias habet opiniones, ac distinctiones, recipit; Verè autem facti, ac voluntatis quæstio est, pro facti propterea qualitate, ac circumstantiis decidenda. Sivè ubi anterior affectavit postponi, ac solutionem neglexit, cum tunc postponatur. *b*

Æqualitate autem posita, possidentis condito potior est,
ubi possessio non vitiosa, vel affectata, sed legitima, ac ve- 328
ra sit, juxta declarationes in sua sede contentas; præsertim si ordo scripturæ anterioritatem præbeat. *c*

Super hujus æqualitatis autem requisito, quæstiones ca-
dunt, inter cedentem, & cessionarium, qui partem ejus- 329
dem cedentis debiti cum ejus pecunia dimiserit, sivè inter eos, qui cum eorum pecunia eumdem dimiserint creditorem, cessione ab eo, diverso tempore, æque reportata, idque pariter, ex facti qualitate, plurisque distinctionibus determinationem recipit. *d*

Posterior etiam quandoque anteriorem vincit, qui
nempè, ille publico sit munitus instrumento; Ista autem 330
habeat privatam scripturam, quæ trino teste munita non sit *e*, nisi alia accedat certa probatio æquipollens, quæ antidatæ suspicionem tollat, cum æquipollentiam sufficere sit receptum.

In aliqua etiam parte, anteriorem posterior vincit, ubi
non de ipso creditore agatur, sed de ejus cessionario, qui pro minori summa cessionem reportaverit, quàm creditum importet; Id autem concursus ordinem non respicit, sed
substantiam crediti, cum etiam ipsimet principali hoc be- 331
neficium competat, id solutum offerre, quod cessionarius solvit; Ubi tamen litigiosi juris cessio sit voluntaria ad lites redimendas, non autem justa causa accedat, aliave limitatio, ut in sua sede. *f*

Præmissæ, aliæque plures concursus quæstiones, quas omnes cum solo memoriæ beneficio, successivis horis, sub com-
pendio recensere, humani intellectus imbecillitas non pa-
titur, ea percutiunt bona, quæ indifferentia, atque in li-
bero privato commercio sint, illeque de dominio debitoris 332
jam effecta, cum sine hoc dominii requisito, creditorum hypotheca non detur; Ideoque ea non capiat, ejusdem pignoris, vel hypothecatæ rei fructus, qui extrà debitoris dominium nascantur, cum sub hypotheca non cadant, nisi, quæ de hypothecantis dominio sint. *g*

Exindeque sequitur, ut ad bona, quæ debitori ex suc-
cessione directa, vel obliqua, seu legato, aliaque gratui-
ta dispositione, delata sint, nisi per ipsum agnoscantur, 333
illeque sequatur agnitionis effectus, per quem dominii acquisitio resultet, cum possit debitor (creditoribus præjudicando, nolle quærere, neque creditoribus concedentur, ea, quæ sunt facultatis, atque illa, quæ in animo latent explicare, vel exercere; Quæstione cadunt, an in legitima, quæ juris ministerio defertur, hæc agnitio quoque desideranda sit, quod ex aliquibus distinctionibus determinationem recipit.

Ea verò, quę ex jam perfecto contractu acceptato competunt, respui non possunt cum id juris quęsiti potius amissio-
nem, quàm non agnitionem quærendi redoleat, ideoque rem relatam nõ agnitam debitor agnoscere non potest, atque ab acquisitione abstinere, agnitam verò dimittere prohibetur, quâvis ea restitutioni post mortem, vel per aliam conditio-
nem obnoxia sit, quam sub refutationis, vel præventive re-
stitu-

stitutionis titulo, proximo, ac necessario successori faciat, cum ejus jam agnito durante, creditorum hypothecæ durent. *b*

Ubi verò de ea diversa bonorum specie agatur, quæ differentium dicitur, quia nempè, absque alterius assen-
su, vel alia solemnitate, alienari, sive obligari prohibita
334 sint, non à tempore, sed ab assensu, vel alia ad id necessaria solemnitate, creditorum ordo resultat, ideoque ille prior dicitur, qui priorem habeat assensum, qui verè actum perficit, ac informat, quamvis ille, qui temporis prioritatem habeat, eumdem posteà fortiatur assensum, cum istius, non autem privatæ conventionis tempus attendendum veniat; Ideoque si iste contemporaneus, & coæqualis esset, omnium erit conditio æqualis, quamvis temporis inæqualitas accederet, cum non debitoris hypothecantis fidem, sed illam assentientis, seu alias actum perficientis, ille, qui credit, sequi dicatur, ut in feudis ac regalibus juribus, aliisque in libero privato commercio non existentibus, utpotè legis, vel hominis, alienandi, vel hypothecandi prohibitionem habentibus, frequens praxis docet.

Adeoque una opinio, (ut superius insinuatum est,)
335 bonorum separationem quoque negat, atque hæredis, vel successoris creditore assensu munitos præfert illis defuncti, qui eo destituti sint, quod pro Tribunalium diverso stylo determinationem recipit.

Hinc super prohibitionis natura, seu qualitate cadit
336 quæstio, an scilicet hypothecam quoque complectatur, probabiliorque affirmativa videtur, ubi non de fructibus vel eorum commoditate, sed de rei proprietate, ac substantia tractetur.

Ubi verò, non in ipsa re, sed in ejusdem pretio concursus quæstio sit; Una opinio credit hunc diversum or-
337 dinem non intrare, ex juris regula, ut pretium loco rei non succedat, ejusque non sortiatur naturam, sed jure indifferentium bonorum habendum sit; Verius autem videtur, ut ab eo id pendeat, an creditori, qui ratione assensus cæteris potior, magisque privilegiatus est, in hujusmodi indifferentibus bonis, super eis consultum remaneat adversus possessorum, quamvis pretium quoque extet, ab eodem possessore debitori solutum, quod in ea contingit alienatione, quæ privata auctoritate, absque assensu fa-
cta sit; Quæstione ita remanente inter ipsos privatos, seu indifferentes creditores, & emptorem, qui à privilegiato creditore super ipsa re reales molestias, vel evictionem patiatur; Secus verò, ubi ex Principis, aut legis, vel Judicis provisione, seu alias, ex ipsius rei natura, creditoris ita per assensum privilegiati juris, in ipsa re non sit exercibile, cum tunc, pretii subrogatio intret, ideoque idem ordo servandus est, qui in ipsa re servari deberet.

Quæstione cadente, an hæc assensus operatio pro debiti accessionibus, quoque intret; Aliquibus indefinitè
338 negantibus; Aliis autem è converso generaliter affirmantibus; Et aliis verius distinguentibus, an explicita, vel implicita accessionum mentio fuerint, necnè, dum ex insinuatis, ab assensu totum jus creditoris pendet; Præsupposita tamen ejus validitate, ac perfectione, (quam cessante habetur, ac si non esset, dum nullum, & nihil purificantur;) Hujusmodi autem validitatis inspectio, non sub ista, sed sub altera gratiarum, ac indultorum, seu feudorum sede cadit. *i*

339 Jis autem, qui assensu destituti sint (ut superius quoque advertitur,) nullum reale, vel rei persequutorium jus, vel remedium conceditur sed utpotè in hac bonorum specie habendis pro chirographariis, ea solum remedia dantur, quæ huic creditorum generi, ad alia debitoris indifferentia bona conceditur.

Frequentiores autem fori quæstiones, inter creditores defecti debitoris contendentes, illæ videntur, quæ jam
340 solutæ pecuniæ avocationem concernant; Ubi præsertim (ex commendabili stylo) creditorum gradus, vel ordinis determinatio expectanda non sit, quod hujusmodi causarum æternitatem penè causat, sed primò venientibus, pecuniæ, cum idoneis cautionibus de restituendo, vel earum loco (ubi tales haberi non valeant,) cum idoneo investimento, quod dictæ cautionis vicem suppleat, liberantur, ideoque alii postmodum venientes, de avocatione contendant, quia se priores, vel potiores esse dicant.

Quamvis autem apud antiquiores nimium involuta videtur hæc avocationis materia, cum ea tamen casuum distinctione, quæ probabilior, magisque recepta videtur, plana hodie remanet.

Aut enim de illa solutione agatur, quæ per Judicem, 341
vel alium ad id potestatem habentem, seu etiam per tertium, cum dicta cautione, vel obligatione solutæ sint; Istoque casu, nulla cadere videtur quæstio, nisi ea, quæ ipsam anterioritatem, vel potioritatem percutiat, de qua onus ejus est, qui ad avocationem agit, concludenter docere, cum id suæ intentionis fundamentum sit.

Consumptione posteriorem creditorem non excusante, 342
neque ea potioritate, quam data æqualitate, possessio, vel exceptio producat, cum ita pecunia pro extante habenda sit, ac si solutionis actus non esset sequutus, eum resolvendo in præcariam quamdam, seu provisionalem, & quandocumque revocabilem traditionem, stante potissimum clausula ampliativè adjici solita, ut ad omne mandatum Judicis ea fieri debeat.

Ubi verò, non per Judicem vel alium, cum dicta cau-
tione, sed liberè per eumdem creditorem, vel tertium 343
solutio fiat, tunc ex ejusdem debitoris statu quæstionis decisio pendet; Si enim vel formiter decoctus, vel decoctu-
rus existat, idque ex vera, vel à lege præsumpta, sive subintellecta scientia, creditori solutionem recipienti innotescat, idem resultat effectus, quem cautio præmissa producit; Ideoque facti potius, quam juris quæstiones desuper cadentes esse dignoscuntur, super unius, vel alterius qualitatis verificatione, ita & taliter quod ad veram, vel præsumptam inferri valeat creditoris malam fidem, cujus hæc operatio est.

Potissimè verò, ubi de secunda decocturi specie agatur, unde cessante positivæ malæ fidei vera probatione,
ad præsumptam recurratur; Variis varia desuper sentien- 344
tibus; Verius tamen est, ut quæstio facti sit, ideoque pro regulari hujusmodi quæstionum natura, certam non recipiat determinationem generalem, sed ista, particularis pro singulorum casuum individua qualitate sit; Nisi locorum leges, vel styli, ad hujusmodi quæstiones dirimendas, certam statuerint regulam indefinitè attendendam.

Idem effectus, qui ex mox insinuata civili morte (quam decoctio causare dicitur) ex altera morte naturali debito-
ris quoque resultat; Quamvis etenim, creditoribus ad- 345
versus hæredem cum prædicta cautionis, hodie usu recepta cautela per creditores non recusabili, solvere obligatum, ea neglecta, solventem, actio conpetat, inventarii beneficio non suffragante, perinde ac si solutio poste-
rioribus facta non esset, ipsaque pecunia soluta extaret; 346
Adhuc tamen anterioribus adversus posteriores ita per hæredem dimissos, eadem lex, quæ inventarii beneficium induxit, avocationis actionem tribuit, quasi quod, ab 347
administratore potius, qui gratificandi facultatem non habeat, creditor posterior solutionem recipere sciat, vel scire debeat, ideoque malæ fidei censeatur.

Ipso autem debitore adhuc in statu integro existente, suique patrimonii liberam habente administrationem ubi
collusionis, vel malæ fidei probationes, vel efficacia ar-
gumenta non accedant; Quamvis de stricta juris censura 348
soluti conditio anteriori adversus posteriorem competat; Ubique tamen recepta rationabilis æquitas, commercii libertati, publicoque favori innixa, nè ita mundus involvatur, contrarium statuit, ut pecuniæ bona fide receptæ, & consumptæ, avocatio non detur; Consumptione, quamvis impropria, per confusionem solutæ pecunię cum reliquo creditoris patrimonio ad id sufficiente, adeout sufficiat, ipsam individuam pecuniam non extare, à reliquo patrimonio distinctam.

Huic autem æquitati, locus non conceditur, ubi non à debitore solutio facta sit, sed à tertio, sive ipsemet cre-
ditor manu sua eam sibi fecerit, quoties compensationis 349
bonæ fidei cum se ipso factæ ratio non accedat; Idemque si ab integro debitore, omnium creditorum pari petitione, ac diligentia præcedente, creditori posteriori jam con- 350
scio, per gratificatione solutio facta sit.

Fisco, ac doti, aliisque privilegiatis, plerique hoc speciale tribuunt, ut hujusmodi avocationem, etsi regulariter ob quæ fidei consumptionem denegandam, faciant;
Id autem non ita indefinitè recipiendum est, sed quando 351
lucri ratio, vel alia peculiaris circumstantia, quæ æquitatis repugnantiam excludat, ita suadeat.

In pluribus autem differunt hujusmodi avocationis species; Ubi etenim dicta obligatione de restituendo non ac-
cedente; ea ex sola legis dispositione manet, tunc non nisi 352
in

in subsidium facta debitoris formali excussione, atque in
353 ordinario judicio exercibilis est; Ubi verò, cautio, vel obligatio accedat, ex judicii calore, in processu executivo exercibilis est, neque dictum executionis requisitum desiderandum venit.

354 Ordinis tamen, vel inanis circuitus quæstio cadere solet, an scilicet anterior, ultimum, non autem medium, urgere debeat, ubi unus alterum indicet; Aliquibus affirmantibus; Aliis verò negantibus; Istaque posterior magis recepta est, quamvis prudens praxis in exequendo, circumspecta esse soleat, ut ad inanem circuitum vitandum, ab eo, qui sit ultimus unica fiat restitutio. *m*

355 Super fructibus medio tempore, ex pecuniæ solutæ investimento, in posteriorem creditorem obventis, sive in ejusdem investimento, augmento, vel decremento, sive peremptionis periculo, cadere item solet quæstio, quæ ex facti qualitate, & circumstantiis determinationem recipit, an scilicet, tanquam speciem, creditor illud investimentum receperit, ad illius restitutionem, tale quale reperietur obligatione restricta; Vel potius obligatio sit quantitatis, quæ ita loco cautionis investita sit, ut hoc secundo casu, omnes fructuum, ac periculi, seu augmenti, & decrementi effectus, ipse creditor sentiat, tanquam dominus, secus autem in primo, in quo ex non scripta æquitate, à fructibus medio tempore jam perceptis, atque anterioris creditoris molestias consumptis excusatur. *n*

356 Ille verò, qui vocationem patitur, ubi potissimum per Judicem, cum dicta obligatione, solutio facta sit, ad priora redit jura, suumque reassumit creditum; Quæstione cadente, an priorem quoque reassumat naturam censualem, vel similem quæ fructuum productiva sit, pro ipsorum fructuum cursu, quod varias habet opiniones, variasque recipit distinctiones in sua sede recensitas.

357 Anteriori autem, qui in concursu, ut solutio sibi non fieret, affectavit, hujusmodi avocandi facultas, cautione, vel obligatione non obstante, probabiliter deneganda venit. *p*

358 Prout longissimi temporis 30. fortius verò 40. annorum decursus, posteriorem creditorem, hujusmodi obligatione, vel cautione non obstante, per quamdam præscriptionis speciem, tutum reddit, ne perpetuò creditores de jure incerti vivere cogantur; Quamvis etenim ejus, qui propriæ obligationis conscius est, perpetua sit mala fides, ex ubique recepta canonica lege, quæ præscriptionis impeditiva est, cum hærede quoque operabilis, ut in solutionum Rubrica, præscriptionis occasione advertitur; In eo tamen principali debitore procedit, qui alienam rem in manibus habere sciat, adeout, præscriptionis beneficium, à lege inductum, lucrum de alieno producat; Secus autem ubi diuturna quies, istam in eo credulitatem inducat, quod alii desint creditores anteriores, potissimè dum, non de lucro, sed de damno contendit, ideoque nimia suppetit æquitas, quæ favorabilem hanc præscriptionem reddit, neque ita odiosa est, ut ea, quæ pœnam negligentiæ creditoris cum debitoris lucro redoleat.

359 Ubi autem loco solutionis ipsa debitoris bona posteriori assignata, vel adjudicata sint, nulla cadit avocationis quæstio, cum anteriorem hypothecam habenti, reale, rei persequtorium remedium ad ipsam rem attributum sit.

Super debitoris decoctione, vel decocturi qualitate, 360
plures cadunt quæstiones, pro diversis effectibus, supra sparsim insinuatis; Atque ubi ipsius debitoris qualitas, illud jam insinuatum excludat beneficium, ne ultra quam facere potest, conveniri valeat, ipseque ad miserabile cessionis bonorum beneficium recurrat; Sive idem in carcere detrusus, prævia bonorum indicatione, alimenta petat à creditoribus, frequentes quæstiones cadere solent, certam genaralém regulam, ubique practicandam, verè non recipientes, cum locorum, ac Tribunalium legibus, vel stylis deferendum sit, pro Tribunalium, vel dominorum veritate, nimia in hoc diversitate concurrente.

Illa verò exorbitans debitoris liberatio per Juristas ad- 361
mitti solet, quæ ex ejusdem crimine resultet, ob quod bannum capitale, cum generica bonorum publicatione resultet, undè pro mortuo habendus veniat; Ut scilicet ex Principis indulgentia priori vitæ civili, non autem priori fortunæ, vel bonis restitutus, tam in persona, quam in bonis postea quæsitis, à priorum creditorum molestiis, tutus maneat, quasi quod tanquam omnino novus, ac diversus homo, habendus veniat; Id autem asperum est, atque leguleicum continet rigorem, à naturali ratione, vel æquitate extraneum, ut crimen, ita criminoso prosit, quod ad hunc effectum per obæratum debitorem possit affectari, ideoque delinquendi occasio, vel incitamentum præberi; Nisi facti circumstantiæ, probabilem suggerant rationem, vel æquitatem, quæ absurdi, quod ex creditorum damno, ac debitoris lucro resultat, rationem tollat, quia nempè ex ipsis antiquis, ac publicatis bonis, bene creditoribus consultum sit, adeout fisci potius lucrum, actio, quæ creditoribus adversus reviviscentem concederetur, produceret, ideoque pro facti qualitate decisio metienda est.

Reliqua, in hoc adeò vasto gurgite, in quo plus remanet dicendum, quam dictum sit, studiosus perquirat, & addat, cum memoriæ imbecillitati, properando, ac in successivis otii horis, plus non concedatur.

i *disc.* 35. l *disc.* 13. & *sub tit. de feud. ad materiam Bullæ Baronum disc.* 73. & *seqq.* m *disc.* 4. *cum seqq.*
n *ibidem proximè præsertim disc.* 6. o *eodem disc.* 6.
p *disc.* 23. q *eod. disc.* 23. r *disc.* 156. *tit. de dote.*
s *disc.* 10. t *disc.* 27. u *disc.* 11. x *eod. disc.* 11.
y *disc.* 12. z *dicto disc.* 11. & 13. a *disc.* 25.
b *disc.* 67. c *disc.* 31. d *de dote disc.* 166. & *in aliis eodem tit ibi insinuatis.* e *disc.* 5. f *disc.* 36.
g *disc.* 13. & 151. h *disc.* 22. i *disc.* 36. & 39. l *disc.* 147.
m *disc.* 1. *cum seqq.* n *eod. disc.* 1. *cum seqq.* & *disc.* 15. *cum seqq.* o *de dote d. sc.* 166. *ubi concordantes.*
p *disc.* 6. q *disc.* 20. r *disc.* 39.
s *de dote disc.* 166. *ubi concordantes.*
t *disc.* 14. *cum plur. seqq.* u *proximè supra.* x *disc.* 31.
y *disc.* 1. *cum plur. seqq.* z *disc.* 4. & 32. 34. & 35.
a *disc.* 4. b *disc.* 29. c *disc.* 1. & *seqq.*
e *disc.* 33. f *disc.* 60. & 149. g *disc.* 37.
g *disc.* 42. 137. & *seq.* i *de his omnibus disc.* 12. & 13. & 151. & *sub tit. de feud.* & *sub tit. de Regal.* & *de emphyteus.* l *ibidem.* m *de his omnibus ad materiam avocationis disc.* 52. & *seqq.* n *disc.* 141.
o *de feud. disc.* 81. p *disc.* 29.

Finis Libri Octavi.